Fritze. De libatione veterum graecorum

DE LIBATIONE VETERUM GRAECORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE XII. M. APRILIS A. MDCCCLXXXXIII
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET

Johann von
AUCTOR
JOHANNES DE FRITZE
BEROLINENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
ALFREDUS HILLERT, CAND. PHIL.
MAXIMILIANUS POHL, CAND. PHIL.
JOSEPHUS POPPELREUTER, DRD. PHIL.

BEROLINI 1893
RICHARD HEINRICH.

Herrn Professor Dr. E. Rohde
in vorzüglichster Hochachtung
der Verfasser

ERNESTO CURTIUS

pietatis ergo.

Etsi iam multi et doctissimi viri de iis caerimoniis disseruerunt, quas faciebant Graeci deis, heroibus, mortuis, tamen usque ad hoc tempus, quantum scio, accuratius dictum non est de sacrificii quodam genere, quod dignum videtur, de quo singulari libello disputetur, de libatione. Quod fieri non posse mihi persuasum est, nisi adumbrata quadam descriptione, cum tanta sit materia, ut omnibus prolatis ac pertractatis haec opella ultra modum extendatur.

I.

Exordium capiam ab iis rebus, quae nominum interpretatione probari vel verisimiles fieri possunt;[1] Imprimis tria adhibentur verba, quibus actio libandi significatur: primum *σπένδειν*, de quo flectitur vox *σπονδή*; deinde *λείβειν*, de quo *λοιβή*; tum *χεῖν*, quod coniungendum est cum *χοή*.

Ac primum quidem mihi disputandum est de *σπένδειν*, cuius radicem iam in Indorum lingua inveniri fere omnes viri docti consentiunt rati, *σπένδ-ειν* arte esse coniungendum cum *spand, spande*,[2] quod germanice vertimus: *zucken*, *ausschlagen*. Quamquam non inveniuntur

[1]) Magnas ago gratias P. Kretschmero v. d. qui has controversias difficillimas explicans consilio benigne me adiuvit. —

[2]) Cf. G. Curtius: Grundzüge der griechischen Etymologie p. 247.

loci, ubi haec notio inest voci *σπένδειν*, tamen G. Curtium illam recte explicasse censeo ex hac sanscritici verbi significatione, ita, ut interpreter: „proicere liquorem manu celeriter promota et raptim retracta.“ Quo fit, ut non effundantur, nisi perpaucae guttae, quae hoc modo deo dentur,[1]) id quod maxime premendum esse mihi persuasi. Benfey,[2]) qui primum iure idem sensit, ac Curtius, quod attinet ad radicem *spand*, tum minime verisimiliter vim libandi ex efflato liquore derivans interpretatus est. Nam talis actio libandi nullo modo confirmari potest et totam illius v. d. rationem altius petitam esse iudico. Vocis *σπένδειν* significationem antiquitus non fuisse nisi religiosam recte Pott[3]) contendit multo post translatam ad talia, quale *δάκρυα σπένδειν* alia, de quibus postea.

Jam vero transeam ad alterum verbum *λείβειν*, quo eodem modo in summam antiquitatem ducimur. Quod nemo negare poterit omnino respondere latinae voci *libandi*, quae eandem actionem religiosam priscis iam temporibus significat. Sed exstat controversia, utrum vox latina e graeca petita sit necne. Qua de re vulgo iudicatur, *libare* e *λείβειν* ortum esse, quamquam firma argumenta afferri non possunt. — Cui opinioni equidem non assentior,[4]) quod duae res obstare videntur. Primum quidem voci *libandi* praeter notionem religiosam alia inest *tollendi sive demendi*, quae verbo *λείβειν* nullo loco tribuitur, ut hac ex re appareat, genuinam esse vocem latinam. Tum accedit, quod ut libatio significetur Romani non utuntur verbo nisi hoc uno *libandi*. Atqui cum iam in

---

[1]) Cf. Schömann: Griechische Altertümer² II, p. 213.

[2]) „Griechisches Wurzellexikon“, Berlin 1839 I, p. 564. II, p. 361.

[3]) „Wurzelwörterbuch für indogermanische Sprachen“, Detmold 1867 bis 1873, p. 730 No. 1801.

[4]) Nec O. Weise: „Griechische Wörter im Latein“, (Leipzig 1882), nec G. Saalfeld in „Thesauro italograeco“, (Wien 1884) libare inter externa vocabula referunt.

antiquissima Romanorum religione libationes plurimum valeant, — ut postea accuratius exponemus — conciendum esse mihi videtur, iam iis temporibus, ubi nondum usu ac commercio coniuncta est utraque gens, *libare* ita adhibitum esse, ut actio liquores effundendi significetur. De responsione quadam, quam cum sanscritica radice *lî* exsistere v. d. putant, taceam, quoniam de hac re certa statui non possunt. —

Denique dicamus de tertio verbo, quod adhibetur ad libationem significandam *χέω*, quo quaestionem promoveri censeo. Nam huius vocis sanscr. radicem sine dubio *hu* fuisse hoc tempore nemo negabit. G. Curtius[1]) eandem opinionem secutus verba *a-hav-as* (*Eimer*) et *χύτρα* (*zd. zaothra*) profert, quibus haec nominum interpretatio valde confirmatur. — Atque nobis inquirentibus, quid de re ipsa in Vedis traditum sit, multi occurrunt loci, quibus probatur, libationem antiquitus in usu fuisse singularem nulla alia caerimonia adiuncta nisi precatione; atque ita, ut radix *hu* ubique in Rigveda significet *libationem effundere.* Qua de re diligentissime tractavit Aufrecht;[2]) qui omnibus his locis compositis statuit, plerumque hanc vocem adhibitam esse ad libationem designandam, ut vox substantiva *havya* semper *libamentum* vertenda sit. Contra hos multos locos nihil valere perpaucos eos, quibus non sit coniunctum cum liquoribus verbum *hu;* quin etiam in his ipsis notionem illam primam *liquoris* agnoscendam esse; in iis scriptis, quae post Rigvedam composita sint, *hu* ita quoque usurpari, ut vulgo *sacrificare* audiat. — Quibus in libationibus Indos eadem sensisse ac Graecos hinc apparet, quod perpaucas guttas effundebant, quibus deus frueretur. E. g. profero locum, quem Aufrecht hoc modo vertit: *Für Dich, Agni, fallen Tropfen von Mark und Butter; von*

---

[1]) l. l. p 204. Cf. Grassmann: *Kuhns Zeitschrift*, XI, p. 40. Prellwitz, Etym. Wörterbuch d. gr. Spr. s. v. *χέω* p. 356.

[2]) *Kuhns Zeitschrift*, XIV, p. 268.

Weisen gepriesen, komm, o Kluger, mit Deinem mächtigen Glanze und geniesse die Gaben.

Cum ex iis rebus, quas de voce *hu* diximus, tum e plurimis Vedarum locis, ubi traduntur libationes deis oblatae, coniciendum esse puto, antiquissimis illis temporibus et creberrimas fuisse libationes et priores, quam victimarum sacrificia. Qua re invitamur ut quaeramus, nonne in Graecorum quoque religione vestigia inveniantur, quibus probetur, libationem non — ut adhuc fere semper putatur — partem vel compendium sacrificii cruenti habendam esse, sed potius antiquius cultus genus, quod postea cum victimis immolatis combustisque aliis coniunctum ritum illum effecit, quem iam in carminibus Homericis plane excultum invenimus.

Hoc loco pauca inserere mihi liceat de verborum copia, quae ad libationem significandam inveniuntur, e quibus elucere puto, quantopere in usu fuerit libatio. Praeter tria illa verba, de quibus iam supra disputavi σπονδή, λοιβή, χοή duo adhibentur, quae nihil aliud continent, nisi fluendi notionem πηγαί[1]) et ῥοαί,[2]) quae omnino coniungenda sunt cum χοαί, quod non exstant nisi in libatione funebri.[3]) Nam hac in caerimonia, ut postea vidébimus, totus liquor, qui in pateris inerat, in sepulcrum effundebatur, ut facile verba fluendi quadrarent, id quod non conveniebat deorum superorum libationibus, ubi paucae guttae profundebantur, ut verbo σπένδειν expressum est. Idem sensus subest voci χύτλα[4]) quae quidem ad libationem significandam non adhibetur nisi numero plu-

---

[1]) Cf. Sophocl. El. vs, 895.

[2]) Cf. Euripid. Hel. vs. 1587.

[3]) Negari non potest, vocem χοαί quoque adhiberi ad aliam indicandam libationem, ac funebrem, tamen a Graecis vulgo intellectam esse eam libationem, quae defunctis fiebat, iam antiquorum testimonia probant. Cf. Schol. Hom. Od. κ. 518, λ. 26. Eusth. ad. Od. κ. 518 ad. Il. Ψ. 220.

[4]) Cf. Apoll. Rhod. Arg. I, 1075. Orph. Arg. 571. Paus IX, 17. 4.

rali. Tum invenitur vox *λουτρά*,[1]) cui in sola libatione funebri adhibitae maxime inest vis lustrandi. — Praeter *σπένδειν, λείβειν, χεῖν* cum libandi verbo coniunguntur tales voces, quae habent vim mittendi, quibus non exprimitur, utrum totus liquor an guttae mittantur; e. g. profero *φέρειν*,[2]) *πέμπειν*,[3]) *διδόναι*,[4]) *βάλλειν*,[5]). *στάζειν*[6]) vocem plane dilucidam explicari opus non est. Accedunt duo verba, quae cum libatione funebri cohaerent: *τρέφειν*[7]) et *στέφειν*[8]) sc. *τὸν νεκὺν χοαῖς*, quorum alterum hoc sibi vult: „mortuo libationes quasi alimentum (*τροφήν*) offerre“, alterum: „defunctum vel potius tumulum libationibus coronare.“

Ac primum quidem ut probem, libationem omnibus temporibus idem valuisse ac victimam, e multis iis locis, qui huc spectant, gravissimos eligam. Ut ab Homeri carminibus incipiam cf. Il. Δ vss. 48. 49:[9])

οὐ γάρ μοί ποτε βωμὸς ἐδεύετο δαιτὸς εἴσης
λοιβῆς τε κνίσης τε· τὸ γὰρ λάχομεν γέρας ἡμεῖς.

Quod idem exprimit Hesiodus, cum dicit. Op. et d. vs. 335:

ἄλλοτε δὲ σπονδῇσιν θύεσσι τε ἱλάσκεσθαι.

Accedit, quod profert Pindarus, Nem. XI. vs. 6.

πολλὰ μὲν λοίβαισιν ἀγαζόμενοι πρώταν θεῶν
πολλὰ δὲ κνίσᾳ.

Quae verba maxime sunt idonea, quibus probetur, quod supra suscepi, quoniam particulis *μὲν-δὲ* duae caeri-

---

[1]) Cf. Soph. El. 84. 431. Eur. Phoen. 1667.
[2]) Cf. Aesch. Pers. 610. Cho. 15.
[3]) Cf. Aesch. Pers. 622. Cho. 23. 515.
[4]) Eur. Iph. T. 61. Or. 124.
[5]) Cf. Eur. El. 803. Phoen. 1667.
[6]) Cf. Eur. Heracl. 1040.
[7]) Luc. de luctu 9.
[8]) Cf. Soph. Antig. 429. Electr. 52. 457. Cf. *στεφανοῦν* Eur. Hec. 126.
[9]) Cf. Il I. vs. 500 Ω vs. 70.

moniae accurate distinguuntur. At ne obliviscar Aeschyli,[1]) inspicias Suppl. vs. 980 sqq.:

Ὦ παῖδες Ἀργείοισιν εὔχεσθαι χρεὼν
θύειν τε λείβειν θ' ὡς θεοῖς Ὀλυμπίοις
σπονδάς, ἐπεὶ σωτῆρες οὐ διχορρόπως.

His in versibus libationem pressam esse opinor, cum componat poeta *λείβειν σπονδάς* cum *θύειν*. Sed hac in re minime nitar.

Iam vero addam Sophoclis Philoctet. vs. 8 sqq.:

ὅτ' οὔτε λοιβῆς ἡμῖν οὔτε θυμάτων
παρῆν ἑκήλοις προσθιγεῖν. et. vs. 1033:
πῶς θεοῖς εὔξεσθ' ἐμοῦ
πλεύσαντος, αἴθειν ἱρά; πῶς σπένδειν ἔτι.

et Aristophanis Nub. vs. 758:

δαιμόνων ἡμῖν μόναις οὐ θύετ' οὐδὲ σπένδετε.

Denique ne latius digrediar Platonis locum commemorem: legg. X. 906 D: *λοιβῇ τε οἴνου κνίσῃ τε.*

Sed nunc ad graviora transeam, quibus mea quidem sententia verisimillimum fit, libationem deis oblatam antecessisse victimarum sacrificio, ad *ἱερὰ ἄπυρα*. De iis sacris, quae faciebant Rhodii Minervae Lindiae praeter scholiastam in Pindari Olympias[2]) uberius loquitur Philostratus imag. II 7. p. 852: *καὶ θύουσιν ἤδη τῇ Ἀθηνᾷ δῆμοι δύο ἐπὶ δυοῖν ἀκροπολέοιν, Ἀθηναῖοι καὶ Ῥόδιοι, γῇ καὶ θαλάσσῃ, ἄνθρωποι γηγενεῖς, οἱ μὲν ἄπυρα ἱερὰ καὶ ἀτελῆ, ὁ δὲ Ἀθήνησι δῆμος — πῦρ ἐκεῖ καὶ κνῖσα ἱερῶν, ὁ καπνὸς δὲ οἷον εὐώδης γέγραπται καὶ μετὰ τῆς κνίσης ἀναρρέων. ὅθεν ὡς παρὰ σοφωτέρους ἀφίκετο ἡ θεὸς καὶ θύσαντας εὖ.* — His e Philostrati verbis nihil aliud concludi potest, nisi caerimonias Rhodiorum antiquitus sine igne factas opponi sacris Atheniensium, qui victimas comburere solebant.

---

[1]) Cf. Agamemn. vers. 69 sqq.

[2]) Ol. VII vs. 86.

Nam illam fabulam, quam tangit Philostratus ac pluribus verbis narrat Diodorus, postea fictam esse ad hunc usum interpretandum, quem non intellexerunt posteriores, nemo negabit.[1]) Diodorus haec refert (V, 56): *Ἀνδρωθεῖσι δὲ τοῖς Ἡλιάδαις εἰπεῖν τὸν Ἥλιον [ὅτι] οἵτινες τῇ Ἀθηνᾷ θύσωσι πρῶτοι, παρ' ἑαυτοῖς ἕξουσι τὴν θεόν· τὸ δ' αὐτὸ διασαφῆναι λέγεται τοῖς τὴν Ἀττικὴν κατοικοῦσι. διὸ καί φασι τοὺς μὲν Ἡλιάδας διὰ τὴν σπουδὴν ἐπιλαθομένους ἐνεγκεῖν πῦρ καὶ ἐπιθεῖναι τότε τὰ θύματα. τὸν δὲ βασιλεύοντα τῶν Ἀθηναίων Κέκροπα ἐπὶ τοῦ πυρὸς θῦσαι ὕστερον. διόπερ φασὶ διαμένειν μέχρι τοῦ νῦν τὸ κατὰ τὴν θυσίαν ἴδιον ἐν τῇ Ῥόδῳ καὶ τὴν θεὸν ἐν αὐτῇ καθιδρῦσθαι.* Quibus ex verbis apparet, re vera exstitisse talia sacrificia, ad quae interpretanda ficta est fabula.

Atque nobis inquirentibus, quid sit diis oblatum igne non allato, statim occurrit Pausanias (VIII. 42. 5): *Ταύτης μάλιστα τῆς Δήμητρος ἕνεκα ἐς Φιγαλίαν ἀφικόμην, καὶ ἔθυσα τῇ θεῷ, καθὰ καὶ οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσιν, οὐδέν· τὰ δὲ ἀπὸ τῶν δένδρων τῶν ἡμέρων, τά τε ἄλλα, καὶ ἀμπέλου καρπὸν, καὶ μελισσῶν τε κηρία, καὶ ἐρίων τὰ μὴ ἐς ἐργασίαν πω ἥκοντα, ἀλλὰ ἔτι ἀνάπλεα τοῦ οἰσύπου, ἃ τιθέασι ἐπὶ τὸν βωμὸν, ᾠκοδομημένον πρὸ τοῦ σπηλαίου· θέντες δὲ καταχέουσιν αὐτῶν ἔλαιον· ταῦτα ἰδιώταις τε ἀνδράσι, καὶ ἀνὰ ἔτος τῷ κοινῷ καθεστήκασι ἐς τὴν θυσίαν.* Qua ex re satis elucere mihi persuasi, in hoc Cereris cultu antiquissimo primas anni fruges, quae graece vocantur *ἀπαρχαί* deae ante antrum in tabula vel ara positas esse, in quas oleum effundebant Arcades. Quam caerimoniam re vera sacrificium fuisse, ex ultimis Pausaniae verbis concluditur; sed non, quale usitatum erat posterioribus temporibus, haec verba demonstrant: *καὶ ἔθυσα τῇ θεῷ καθὰ καὶ οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσιν, οὐδέν.* Sed

[1]) Heffter (Gottesdienste auf Rhodos II, p. 28. 35) antiquissima esse illa *ἱερὰ ἄπυρα* recte iudicavit; sed ab eo dissentio, qui fabulam iam antiquitus a Rhodiis ipsis fictam esse velit.

non dubito, quin oleum effusum nihil aliud intelligendum sit, ac primum libationis vestigium. Quod iam magis firmatur Athenaei loco (IX. 56), quo dicit de lance satura (*κέρνος*) Cereri oblata: *ἀγγεῖον κεραμοῦν ἔχον ἐν αὐτῷ πολλοὺς κοτυλίσκους κεκολλημένους, ἐν οἷς εἰσι μήκωνες, λευκοὶ, πυροὶ, κριθαὶ, πισοὶ, λάθυροι, ὦχροι, φακοὶ, κύαμοι, ζειαὶ, βρόμος, παλάθιον, μέλι, ἔλαιον, οἶνος, γάλα, ὄϊον ἔριον ἄπλυτον.* Hoc loco compositi sunt illi liquores, quibus *σπονδαὶ μελίκρατοι* saepissime continentur; neque obtinere dubito, hoc in cultu, sicut Phigaliae, liquores effusos esse in fruges solidas. Denique addam Laertii Diogenis locum (VIII. 13), quem huc spectare equidem credo, quamquam libationes enumeratae non sunt: *ἀμέλει καὶ βωμὸν προσκυνῆσαι (Πυθαγόραν φασὶν) μόνον ἐν Δήλῳ τὸν Ἀπόλλωνος τοῦ γενέτορος, ὅς ἐστιν ὄπισθεν τοῦ Κερατίνου, διὰ τὸ πυροὺς καὶ κριθὰς καὶ πόπανα μόνα τίθεσθαι ἐπ' αὐτοῦ ἄνευ πυρὸς, ἱερεῖον δὲ μηδέν, ὥς φησι Ἀριστοτέλης ἐν Δηλίων πολιτείᾳ.* Ad eandem Apollinis Delii religionem Iamblichi duo loci referendi sunt (de vita Pythag. p. 25)[1]), qui verbis utitur hisce: *τὸν ἀναίμακτον λεγόμενον τὸν τοῦ γενέτορος Ἀπόλλωνος βωμὸν* et (p. 35) *τὸν βωμὸν τὸν τοῦ γενέτορος Ἀπόλλωνος προσευξάμενος, ὃς μόνος ἀναίμακτός ἐστιν.*

Iam vero multorum deorum sacra, quae vocantur *ἄπυρα*, ex primitiis frugum cum libatione coniunctis constitisse neque de Cerere sola cogitandum esse, recte sensit Schömann,[2]) cum dicit, frugum primitias oblatas esse Cereri, Baccho, Herculi, deorum matri, Apollini, Dianae, Minervae. — Denique proferam nonnulla poetarum fragmenta, quae ad hoc sacrificii genus spectant. Primum inspicias Sophoclis locum,[3]) qui summi momenti esse vi-

---

[1]) Cf. Val. Rose: Aristot. fragm. (Lips. 1886) fr. 489. p. 311.

[2]) l. c. II. p. 217. Cf. Stengel: Die griechischen Sakralaltertümer. München 1890. p. 70. 71.

[3]) ap. Nauck: fragm. trag. graec.² fr. 366. p. 218.

detur (apud Porphyrium: de abst. II. 19) καὶ Σοφοκλῆς διαγράφων τὴν θεοφιλῆ θυσίαν φησὶν ἐν τῷ Πολυείδῳ:

> ἦν μὲν γὰρ οἰὸς μαλλός, ἦν δ' + ἀμπέλου[1])
> σπονδή τε καὶ ῥὰξ εὖ τεθησαυρισμένη·
> ἐνῆν δὲ παγκάρπεια συμμιγὴς ὀλαῖς
> λίπος δ'ἐλαίας καὶ τὸ ποικιλώτατον
> ξουθῆς μελίσσης κηρόπλαστον ὄργανον.

Qui versus quantopere sint apti ad illud primum sacrum illustrandum non est, quod exponam. Sed premendum esse iudico, quomodocunque laboranti loco succurrendum putas, vinum effusum hoc loco vocari σπονδήν. Accedit, quod Porphyrius hoc sacrificium significat θεοφιλῆ. Praeterea huc referenda esse opinor talia sacrificia, quae libis et libationibus adhibitis posterioribus temporibus in usum venerunt; cuius rei exemplum profero Philemonis comici fragmentum (Kock. II. p 495 n. 67):

> Ἄρτεμι, φίλη δέσποινα, τοῦτόν σοι φέρω
> ὦ πότνι', ἀμφιφῶντα καὶ σπονδὴν ἅμα.

Restat, ut commemorem illum diem festum, qui a Graecis Διάσια vocatur. Neque enim dubitari potest, quin in hoc antiquissimo Jovis cultu ea sacra oblata sint, quae prima equidem statuo. Mommsen in eo libro,[2]) qui inscribitur „*Heortologie*" summo iure duas huius festi formas discernit, alteram antiquam alteram posterioribus temporibus Baccho assumpto valde mutatam. Ille v. d. recte premit dierum festorum Ἀνθεστήρια tertio, qui χύτραι vocatur, vestigia servata esse antiqui festi Διάσια. Nam illae frugum primitiae (παγκάρπεια), quae saepe commemorantur, eum cultum antiquissimum indicare videntur.[3]) Ad eundem festum, qui celebrabatur a Graecis nondum

---

[1]) Etsi locus corruptus metro obstat, tamen omnes v. d. his verbis eundem sensum subiciunt cf. Nauck. l. c.

[2]) p. 19 sqq.

[3]) Cf. E. Curtius: Stadtgeschichte von Athen p. 28.

religione peregrina imbutis, Thucydidis[1]) locum spectare equidem persuasum habeo,[2]) quamquam concedendum est, illam lectionem dubiam esse.

Quae cum ita sint, statuendum esse mihi videtur, primum fuisse Graecorum sacrificium, in quo fruges deis ponebantur, in quas libatio fiebat. Postea accesserunt eae caerimoniae, in quibus ignis incendebatur; atque conici licet, primum tus odoresque[3]) tum victimas immolatas deis combustas esse. Iam Homeri carmina ritum illum praebent, qui omnia sacrorum genera coniungit.

Summi momenti est, hoc loco pauca facere verba de antiquissimo Romanorum cultu, cuius caerimoniae plane respondere videntur iis, quas antiquissimas Graecorum statuendas esse censeo. Quod mirum habendum non est, quoniam dubitari non potest, quin utraque gens iam iis temporibus, quibus nondum erat in suam quaeque peninsulam profecta, eisdem usa sit caerimoniis religiosis; nam supra vidimus, verisimillimum esse, voces *λείβειν* et *libare* eodem sensu esse adhibitas priscis temporibus. Primum inspicias, quae refert Plutarchus (Numa 8): *ἀναίμακτοι γὰρ ἦσαν αἵ γε πολλαὶ* (sc. *θυσίαι*), *δι᾽ ἀλφίτου καὶ σπονδῆς καὶ τῶν εὐτελεστάτων πεποιημέναι.* Quibus e verbis elucere puto, illa sacra, quae a Numa instituta pleraque fiebant *δι᾽ ἀλφίτου καὶ σπονδῆς*, perantiqua fuisse; id quod alio testimonio firmari potest. Nam Dionysius Halicarnass. (Antiquit. rom. II. XXIII. 4. 5), ubi de Numae institutis disse-

[1]) I. 126.

[2]) Cf. Hermann: Gottesdienstl. Altertümer.[2] p. 403, Schömann. l. c. II. p. 487.

[3]) Cf. Hermann l. c. p. 141. Hoc alterum sacrificii genus significari censeo Pausaniae verbis, ubi dicit de Eleorum religione (V. I5. 6): *Ἑκάστου δὲ ἅπαξ τοῦ μηνὸς θύουσιν ἐπὶ πάντων Ἠλεῖοι τῶν κατειλεγμένων βωμῶν. θύουσι δὲ ἀρχαῖόν τινα τρόπον· λιβανωτὸν γὰρ ὁμοῦ πυροῖν μεμαγμένοις μέλιτι θυμιῶσιν ἐπὶ τῶν βωμῶν. τιθέασι δὲ καὶ κλῶνας ἐλαίας ἐπ᾽ αὐτῶν καὶ οἴνῳ χρῶνται σπονδῇ.* Cf. G. Curtius l. c. p. 259 et Athen. XII. 510.

rit, haec profert: *καὶ οὐ μόνον τῆς περὶ ταῦτα σοφίας χάριν ἄξιος ἐπαινεῖσθαι ὁ ἀνὴρ* (sc. *Νοῦμα Πομπίλιος*) *ἀλλὰ καὶ τῆς εὐτελείας τῶν θυσιῶν, αἷς γεραίρεσθαι τοὺς θεοὺς ἐνομοθέτησεν, ὧν αἱ πλεῖσται διέμενον ἕως τῆς καθ' ἡμᾶς ἡλικίας, εἰ μὴ καὶ πᾶσαι κατὰ τὸν ἀρχαῖον ἐπιτελούμενον τρόπον. ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεραῖς οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα θεοῖς ἐπὶ τραπέζαις ξυλίναις ἀρχαϊκαῖς ἐν κάνησι καὶ πινακίσκοις κεραμεοῖς, ἀλφίτων μάζας καὶ πόπανα καὶ ζέας καὶ καρπῶν τινων ἀπαρχὰς καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτὰ καὶ εὐδάπανα καὶ πάσης ἀπειροκαλίας ἀπηλλαγμένα, καὶ σπονδὰς εἶδον ἐγκεκραμένας οὐκ ἀργυροῖς καὶ χρυσοῖς ἄγγεσιν, ἀλλ' ἐν ὀστρακίνοις κυλίσκαις καὶ πρόχοις, καὶ πάνυ ἠγάσθην τῶν ἀνδρῶν, ὅτι διαμένουσιν ἐν τοῖς πατρίοις ἔθεσιν οὐδὲν ἐξαλλάττοντες τῶν ἀρχαίων ἱερῶν εἰς τὴν ἀλαζόνα πολυτέλειαν . . . . .* Quae verba remoto Numae nomine dilucide demonstrant, antiquissima esse sacra Romanorum, de quibus scriptor antiquas religiones perlustrans hoc modo iudicavit neque dubitari potest, quin simillima sint iis, quae, ut exemplum proferam, in Graecia oblata sunt Cereri. — Illis locis nihil dictum est de victimis immolatis; tamen Prellero assentiendum est, qui dicit:[1] ***Die Opfer selbst waren theils blutige d. h. Thieropfer, welche von dem Gesetz Numas keineswegs ausgeschlossen, aber gleichfalls durch sehr ins Einzelne gehende Vorschriften geregelt waren, grösstentheils aber unblutige; darunter besonders die bei jedem Opfer unvermeidliche mola salsa, welche gewöhnlich auch von Numa abgeleitet wurde, aber gewiss älter ist, als er. Ferner gab es sehr viele Spenden meist ohne Wein, endlich sehr viele Opferkuchen, liba, die in sehr verschiedenen Formen gebacken wurden. . . . .***

Patere puto, ea sacra quae Numae attribuuntur, non prima esse initia Romanorum sacrificii, sed eius aetatis, qua iam victimae immolatae et combustae frugum primitiis libationibusque adiunguntur.

---

[1]) Römische Mythologie[3] I. p. 129. 30.

Libationem non solum apud Indos, ut supra vidimus, sed etiam apud alias nationes antiquas iam priscis temporibus in usu fuisse monumentis adiuvantibus facile intelligi potest. Qua de re pauca exempla proferam.

Atque ut ab Aegyptiis incipiam, e plurimis monumentis ea conferam, quae ad libationes referenda sunt.[1]) Saepissime inveniuntur eae, quae offeruntur mortuis atque ita, ut effundantur in mensam quandam ad excipiendum liquorem idoneam[2]) vel in columellae speciem[3]) vel in vasculum[4]) humi positum. — Sed exstant quoque figurae, ubi deo vel mortuo humi effunduntur libamina.[5]) — Primum locum tenent per omnia saecula aquae libationes, quae fiunt e vasculis varie formatis;[6]) sed statuendum est, nullo loco inveniri paterae formam, quam Graeci vocant *φιάλην*. — Tum lactis libamina in usu fuerunt, quae semper ex certo vasculo ovato effunduntur.[7]) Sed vinum, quod deis saepenumero offertur, libamen habendum non est, cum non effundatur, sed vasculo rotundo deo porrigatur.[8])

Tum, ut Assyriorum exempla adiungam, recorderis parietes, qui sculpti sunt in regia domo Assurnasirpalis regis;[9]) ubi invenitur rex ipse Assyriorum ornatu regio indutus, in dextram versus, sinistra manu arcum tenens, dextra pateram, qua libet, efferens ita, ut vasculum in summis digitis positum sit. Quem exadversus eunuchus

---

[1]) Hoc loco Ermanno Berolinensi v. d. magnas ago gratias, qui de Aegyptiorum monumentis benigne me docuit.

[2]) Cf. Perrot-Chipiez: Histoire de l'art I. p. 147. fg. 92.

[3]) ibidem p. 147. fg. 93.

[4]) Ex antiquissimis huius generis monumentis petam illud, quod Lepsius delineavit: Denkmäler Ägyptens und Äthiopiens Tom. III. Abth. II. p. 19. Cf. Tom. IV. p. 87.

[5]) Cf. Lepsius l. c. III. p. 58. VII. p. 230.

[6]) Cf. ib. III. p. 19. 20. 58. VI. 124. 179. VIII. 245. et c.

[7]) Cf. IV. p. 149.

[8]) Cf. ib. V. p. 64. VII. p. 218.

[9]) Cf. Perrot-Chipiez: Histoire de l'art II. p. 455. fig. 205.

constitit, sive flabellum sive trullam, sive utrumque porrigens. Inter quos ferae, quas rex venando occidit, humi iacent. Quibus rebus plane demonstratur, regem libatione oblata gratias agere deis, quod sibi secundum venationis eventum praebuerint. Quae res saepe invenitur paucis mutatis in illis parietibus, quos ca. annum octingentesimum octogesimum quintum exstructos esse constat.

Quibus Assyriorum monumentis addam, quae Phoenicum novimus. Huc non tam ea quadrant, quae videmus in pila[1]) quadam, inventa in *Jehawmelek*, ubi sedet dea vel deae simulacrum *Baalat-Gebal*, cui homo libationem offerre videtur, quam multae paterae simillimae ei vasculo, quod Graecis vocatur *φιάλη*. Quarum paterarum nonnullas praebet Perrot-Chipiez.[2]) Eandem formam iam ab Assyriis adhibitam esse ad libationes effundendas[3]) Perrot contendens hoc modo pergit: *c' est la „φιάλη"*[4]) *des Grecs et la „patera" des Romains qui ont fait le même usage de ces tasses ou plutôt de ces plats, de ces assiettes creuses.* — Hae paterae uberrime caelatae cum pugnas, venationes tum caerimonias religiosas praebent. Quarum duae summi sunt momenti; altera (III. fig. 482), quae est inter antiquissimas, deam exhibet sedentem, cui mulieres saltantes diem festum celebrant. Ante deam mensa est posita, libis, aliis exstructa, cui appropinquat sacerdos, quae tenet sistrum et trullam. Pro certo habendum est, hanc trullam his locis in usu fuisse, qua vinum e cratere exhaustum

---

[1]) ap. Perrot-Chipiez l. c. III. fig. 23.

[2]) ibidem III. fig. 546. 547. 548. 550.

[3]) ibidem II. p. 736. fig. 398.

[4]) Hoc loco addam, pateram *φιάλην* nominari a Pindaro primo auctore, qui Isthm. V. (VI). vs. 35. sqq. haec dicit:

ἄνδωκε δ' αὐτῷ φέρτατος
οἰνόδοκον φιάλαν χρυσῷ πεφρικυῖαν Τελαμών.

Homeri carmina plerumque praebent vocem *δέπας*; sed inveniuntur quoque *ἄλεισος* et *κύπελλον*.

in pateras infundatur, ut libetur. Altera patera (III. p. 783. fig. 550) Athenarum in Varvacio condita, bis deae continet simulacrum, cui altero loco fit libatio, altero ipsa dea pateram manu tenet; quo de gestu postea disseram, cum dicam de Xanthi monumento.

Denique ne longius digrediar ante oculos ponam Hethitorum pilam,[1]) in qua homo armatus deo, qui multo maior fictus est, libationem offert, vasculum propensum tenens.

Quibus rebus breviter expositis, satis superque elucere censeo, libationem apud eas gentes, quae antiquissimae ad altiorem quendam cultus gradum processerunt, ipsis primis temporibus exstitisse atque ita, ut saepissime libationem caerimoniam solam inveniamus.

II.

Quid sit sacrificium hominibus et deis E. Curtius distincte ac praeclare exposuit;[2]) cuius verba aptissima videntur, quae hoc loco adscribantur: *Die beiden wesentlichsten Formen, unter denen die Frömmigkeit der Alten sich bethätigte, sind das Opfer und das Weihgeschenk. Wenn aber der Unterschied beider gemeiniglich darin gesetzt wird, dass das eine einen augenblicklichen, das andere einen bleibenden Genuss oder Vorteil der Gottheit bezwecke (K. Fr. Hermann: Gottesdienstl. Altert. § 25), so scheint diese Unterscheidung den Hauptpunkt nicht zu treffen. Das Opfer schliesst sich mit seinem Begriff an das Mahl an; die Entäusserung von seiten des Menschen ist hierbei Nebensache und ebenso der Genuss der Gottheit; die Gemeinsamkeit zwischen Mensch und Gott ist*

[1]) Perrot-Chipiez. l. c. IV. p. 560. fig. 282.

[2]) Nachrichten von der Georg-Augusts-Universität und der Kgl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen 1861. p. 361.

vielmehr das, worauf es ankommt. Das Opfer ist darum etwas regelmässiges, weil der Mensch der steten Erneuerung jener Gemeinschaft nie entbehren kann; das Weihen ist etwas ausserordentliches . . . . .

Hanc consuetudinem cotidianam Graecorum sacrificiis infuisse, e multis locis litterarum intelligi potest. E. g. cf. Homeri Il. A. vs. 422. 3.

> Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
> χθιζὸς ἔβη κατὰ δαῖτα· θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

Iam evidentius haec res demonstratur Iliadis loco: Ψ. vs. 207, quo Iris se abituram esse dicit:

> ἵνα δὴ καὶ μεταδαίσομαι ἱρῶν.

Quam Graecorum opinionem recte expressit Athenaeus (363 d): *Οἱ δ' ἀρχαῖοι καὶ τοὺς θεοὺς ἀνθρωποειδεῖς ὑποστησάμενοι καὶ τὰ περὶ τὰς ἑορτὰς διέταξαν, ὁρῶντες γὰρ ὡς τῆς μὲν ἐπὶ τὰς ἀπολαύσεις ὁρμῆς οὐχ οἷόν τε τοὺς ἀνθρώπους ἀποστῆσαι, χρήσιμον δὲ καὶ συμφέρον τοῖς τοιούτοις εὐτάκτως καὶ κοσμίως ἐθίζειν χρῆσθαι, χρόνον ἀφορίσαντες καὶ τοῖς θεοῖς προθύσαντες, οὕτω μεθῆκαν αὐτοὺς εἰς ἄνεσιν, ἵν' ἕκαστος ἡγούμενος, ἥκειν τοὺς θεοὺς ἐπὶ τ ὰ ς ἀ π α ρ χ ὰ ς κ α ὶ τ ὰ ς σ π ο ν δ ὰ ς*[1]) *μετὰ αἰδοῦς τὴν συνουσίαν ποιῆται.*

Quibus in verbis ipsa consuetudo *συνουσία* premitur, cuius signum sacrificium habendum est.

Qua re cognita multa facile intelliguntur non tam sacrificii, quam libationis, quae qua ratione sit adhibita, nunc paullo accuratius perscrutemur. Quod ut quam optime perficiatur, in tria capita distribuam hanc disputationem et primum mihi tractandae sunt eae libationes, quas offerebant homines deis.

---

[1]) Haec verba iis locis addenda sunt, quos supra protuli, cum de primitiis libationi coniunctis disputavi.

A.

Ac primum quidem dicam de ea libatione, quae et pars sacrificii et caerimonia religiosa sola exstabat, tum de iis libationibus, quae in vita privata fiebant. — Sed priusquam ad hoc ipsum aggrediar, de locis pauca addam, ubi libationes offerebantur. Nam dispertiendae sunt eae, quae cum certo loco coniunctae sunt, tum, quae fiunt, ubi quisque versatur. Atque illae effunduntur aut in aram aut in sepulcrum, quarum nunc quidem disserendum est de iis, quae in aram profunduntur.

De ea libatione, quae cum sacrificio coniuncta est, maxime Homeri carmina nos docent. Bernhardi,[1]) qui de hac re accurate disputavit, recte duas fuisse libationes dicit, quae in sacrificio fieri solebant; prima effundebatur, postquam eae victimarum partes, quae deis erant, pingui amictae in ara positae et incensae sunt; altera offerebatur epulis finitis priusquam convivae digressi sunt. — Sed iam accuratius ille v. d. has duas libationes discernit, priorem a sacerdote solo deis fieri pro omnibus; alteram omnes, unumquemque ex suo poculo, effundere in victimarum linguas, quae in arae vel foci ignem missae sint. Prior illa libatio optime illustratur nonnullis vasculis rubris figuris depictis. In plerisque illis fere semper eaedem inveniuntur figurae, quae sacrificio occupatae sunt. Semper adest sacerdos, unus vel duo ministri, quibus saepe additur tibicen. Ut optima proferam exempla, conferas eas amphoras Caeretanas, quas delineavit Gerhard,[2]) quarum altera supplet alteram. In eo vasculo, quod in inferiore parte exsistit, ara in medio invenitur, ante quam sacerdos stat barbatus, in dextram versus, pallio ita in-

---

[1]) Das Trankopfer bei Homer. Abhandlg. zu d. Programm des Kgl. Gymnasiums zu Leipzig 1885. p. 2. sqq.

[2]) Auserlesene Vasenbilder III. 155.

dutus, ut dextra pectoris pars nuda sit, dextra tenens pateram, qua libet, sinistra ut adoret elata, cum subito Victoria[1]) advolat, quae ex hirnea vinum effundit. Quam actionem hoc modo interpretandam esse, altera docet amphora Gerhardi. Iam vero nunc, postquam victimae partes, deis oblatae, combustae sunt, — neque quidquam reliquum est, nisi os sacrum — pueri a dextra parte ad aram accedunt, ut viscera, alia in veribus praeficta torreant, quae epulis convivarum parentur. Denique tibicen invenitur, qui sacrificio tibiis canens adesse solet. — Quibus amphoris, quas e. g. hoc loco tractavi,[2]) plane respondent Homeri versus hi:[3])

καῖε δ' ἐπὶ σχίζῃς ὁ γέρων, ἐπὶ δ' αἴθοπα οἶνον
λεῖβε· νέοι δὲ παρ' αὐτὸν ἔχον πεμπώβολα χερσίν.

Hoc loco pauca dicam de ea libatione, quae cum sacrificio coniuncta in coenis cotidianis fiebat. Non semper animalia, quae in coenis hominum occisa sunt, caerimoniis religiosis factis immolata tostaque esse, Bernhardi[4]) contendit, cum hae nusquam commemoratae sint in coenis procorum. Tamen mea quidem sententia haec sacrificia facta esse omnibus temporibus negari non poterit; neque quod non semper illae caerimoniae commemorantur, inde concludi potest, eas adhibitas non esse. — Tale sacrificium in coena factum optime illustrant Menandri verba. (Kock: Comic. attic. fragm. III. n. 292 p. 82): *Μένανδρος ἐν Κόλακι τὸν τοῖς τετραδισταῖς*[5]) *διακονούμενον μάγειρον ἐν τῇ τῆς πανδήμου Ἀφροδίτης ἑορτῇ ποιεῖ ταυτὶ λέγοντα·*

---

[1]) De Victoria in sacrificiis ministrante cf. Stephani: Compte-rendu 1873 p. 182 sqq.

[2]) Cf. Elite céramogr. II. 105.

[3]) Il. Α. 562. 3.

[4]) l. c. p. 3.

[5]) „*οἱ τετραδίσται*“ erant adolescentes, qui quarto quoque mensis die conveniebant, ut epulis fruerentur. Cf. Hesych. s. v. *τετραδίσται· σύνοδος νέων συνήθων κατὰ τετράδα γινομένη.*

Σπονδή· δίδου σὺ σπλάγχν᾽ ἀκολουθῶν· ποῖ βλέπεις;
Σπονδή· φέρ᾽ ὦ παῖ Σωσία· σπονδή· καλῶς.
ἔγχει· θεοῖς Ὀλυμπίοις εὐχώμεθα
Ὀλυμπίαισι πᾶσι πάσαις· λάμβανε
τὴν γλῶτταν ἐν τούτῳ· διδόναι σωτηρίαν
ὑγίειαν, ἀγαθὰ πολλά, τῶν ὄντων τε νῦν
ἀγαθῶν ὄνησιν πᾶσι· ταῦτ᾽ εὐχώμεθα.

Quibus e versibus quoque elucet, quomodo precationem fecerint Graeci in libatione effundenda. Sed alii exstant loci, ubi dei invitantur ad libationem fruendam. Cuius rei exemplum afferam Aristophanis Lysistrat. vs. 1262 sqq, ubi precatur chorus Lacedaemoniarum:

ἀγρότερ᾽ Ἄρτεμι σηροκτόνε·
μόλε δεῦρο, πάρσενε σιά,
ποττὰς σπονδὰς
ὡς συνέχῃς πολὺν ἀμὲ χρόνον.

In carminibus popularibus (ap. Bergkium poet. lyr. graec. [4]. III. p. 658) servata sunt verba, quae pronuntiantur, dum fit libatio:

τίς τῇδε· πολλοὶ κἀγαθοί·
ἐκκέχυται· κάλει θεόν.

tum preces mittuntur ad deum. Eadem verba laudat Aristophanes Pac. vs. 968. Cf. scholiast.

Iam vero Graecos in libando modos sollemnes cecinisse satis constat et statim occurrit illius metri recordatio, quod hac ex consuetudine nomen duxisse videtur: spondeus. Cuius nomen iam metrici recte explicarunt, quorum unum hoc loco laudem: Isaac Monachum 5: *Δεύτερος ὁ σπονδεῖος, ἐκ δύο μακρῶν συγκειμένος· παρωνόμασται δὲ οὕτως, ὅτι ἐν ταῖς σπονδαῖς, ὅ ἐστι διαλλαγαῖς, τοιούτοις μέτροις ἐχρῶντο.* In Analectis grammaticis, quae edidit Keil, 6, 6. exemplum talis hymni hisce verbis affertur: *Σπονδεῖος δ᾽ ἐκλήθη τοῦ ῥυθμοῦ ἀπὸ τοῦ ἐν ταῖς σπονδαῖς ἐπαυλομένου τε καὶ ἐπᾳδομένου, οἷον·*

Σπένδωμεν ταῖς Μνάμας | παισὶν Μώσαις
καὶ τῷ Μωσάρχῳ | Λατοῦς υἱεῖ.

Quos versus Bergk[1]) Terpandro attribuit, cuius alios versus tradit Clemens Alexandrinus (Strom. VI. 784):

Ζεῦ πάντων ἀρχά | πάντων ἁγήτωρ
Ζεῦ, σοὶ πέμπω | ταύταν ὕμνων ἀρχάν.

At Bernhardy[2]) de Terpandro auctore dubitare videtur, cum dicit: *ferner anapaestische dimetri catalectici, wofern man die Worte bei Clemens: Strom. für ächt hält: Ζεῦ πάντων ἀρχά* . . . . . . Atque Wilamowitz[3]) Terpandro hos versus, meo quidem iudicio, summo iure abrogat, cum premit, verisimile non esse, Jovem septimo a. Chr. n. saeculo vocatum esse *ἀρχὴ πάντων;* neque illi tempori respondere tales argutias, quales *ἀρχὴ ὕμνων* missa Jovi *ἀρχῇ πάντων*. Quae argumenta illius v. d. idoneae videntur, quibus probetur, eos versus posterioribus temporibus fictos Terpandro attributos esse. Sed utut res se habet, pro certo habendum esse puto, hymnos exstitisse multos, qui in libando canebantur ad deum celebrandum,[4]) gravibus sollemnibusque numeris adhibitis.

Iam vero quoniam ea, quae de libatione cum sacrificio coniuncta dicenda sunt, breviter exposui, de libatione sola disputem, quae caerimonia religiosa deis offerebatur. Qua quantopere usi sint Graeci cum ex eo intelligi potest, quod non prius maioris quidquam momenti suscipiebant, quam deis libassent, tum quod nullus praeteriit dies, quo non libarent Graeci. Qua in re eos opinatos esse, deum potu illectum libentius venturum esse ac pro-

---

[1]) poetae lyrici graeci.⁴ III. p. 10.

[2]) Grundriss der griechischen Litteratur II. p. 530.

[3]) Euripides Herakles p. 71.

[4]) Cf. Flach: Geschichte der griech. Lyrik I. p. 39. 80; qui recte contendere videtur, etiam apud Indos floruisse tales Hymnos (*σπονδεῖα*), qui in libatione et sacrificio canebantur.

pitiorem fore, facile demonstrari potest. E. g. cf. Euripidis Bacch. vs. 45 sq; ubi Bacchus dicit:

ὃς (sc. Πένθευς) θεομαχεῖ τὸ κατ᾽ ἐμὲ καὶ σπονδῶν ἄπο
ὠθεῖ μ᾽ ἐν εὐχαῖς τ᾽ οὐδαμοῦ μνείαν ἔχει.

In omnibus rebus, quae periculosae videbantur, libationibus precationibusque a deo petebant Graeci, ut quae facere instituebant bene verteret. Atque maxime cum iter erant facturi ad bellum vel aliud suscipiendum, numquam obliti sunt libationis. Atque exempla habet multa Homerus: Hector, postquam inter pugnam in urbem se contulit libationem effundit Jovi aliisque deis, ut illorum tutela fruatur proelium iterum ingressus.[1]) Eodem modo Achilles libans a Jove petit, ut Patroclus victor e pugna discedat.[2]) Alio loco[3]) legimus, a Graecorum principibus consilio capto de legatis ad Achillem mittendis in Agamemnonis tentorio Jovi libationem offerri, ut omnia prospere procedant. Latius poeta describit, quomodo Priamus, cum in eo est, ut ad Achillem se conferat, libationem ab uxore paratam Jovi effundat.[4]) Neque Telemachus neque Ulixes unquam libationis obliviscuntur, cum vela in altum dant.[5]) Sed non solum Homeri carmina[6]) suppeditant; alia petamus exempla. Athenienses ut propitii sint a deis petunt in Aristophanis Pac. vs. 431 sqq.:

ἄγε δὴ σὺ ταχέως ὕπεχε τὴν φιάλην, ὅπως
ἔργῳ ᾽φιαλοῦμεν, εὐξάμενοι τοῖσιν θεοῖς
σπονδὴ σπονδή· εὐφημεῖτε, εὐφημεῖτε
σπένδοντες εὐχόμεσθα τὴν νῦν ἡμέραν
Ἕλλησιν ἄρξαι πᾶσι πολλῶν ἀγαθῶν . . . . .

---

[1]) Jl. Z. vs. 259. sqq.

[2]) Jl. Σ. vss. 221—231.

[3]) Jl. I. vs. 177 sqq.

[4]) Jl. Ω. vss. 285—306.

[5]) Cf. Od. β. vs. 432. v. 39. ο. 149. 258.

[6]) Cf. Bernhardi l. c. p. 6 sqq.

Apud Xenophontem[1]) dictum est, ipsum illum comitesque deis libasse flumen transgressuros. Idem alio loco[2]) refert: *καί σπείσας καὶ εὐξάμενος ἔπιε καὶ οἱ ἄλλοι δὲ οἱ περὶ αὐτὸν οὕτως ἐποίουν. μετὰ δὲ ταῦτα αἰτησάμενος Δία πατρῷον ἡγεμόνα εἶναι καὶ σύμμαχον ἔβαινεν* . . . . . Iam plura litterarum testimonia afferri, quae exempla sint huic Graecorum consuetudini opus non puto. At liceat mihi, hoc loco de plurimis eis monumentis, quae huc spectant, pauca facere verba. Pleraque sunt vascula rubris figuris depicta, quae facta sunt primo quinti saeculi dimidio. Sed inveniuntur quoque vascula nigris figuris depicta, quae talia praebent, quamvis perpauca. Praeter amphoram quandam, de qua postea disseram, huc maxime spectat crater, qui in museo Berolinensi conditus[3]) Amphiaraum ad bellum proficiscentem continet.[4]) Dilucide apparet, omnibus in his vasculis primum locum obtinere familiam, quae convenit, ut adsit filio adolescenti caerimoniam sollemnem celebranti. Saepissime invenitur puella vel virgo, quae fratri ministrat sive pateram hirneamque apportans,[5]) sive ex hirnea vinum infundens adolescenti, qui pateram tenet.[6]) Praeter hos duos fere numquam deest senex, qui pater familias habendus est, vel otiose spectans[7]) vel dextris iunctis filium valere iubens.[8]) Quibus adiunguntur alii, vel mulieres, mater,[9]) sorores[10])

---

1) Anab. IV. 3. 13.

2) Cyropaed. VII. 1. 1.

3) Cf. Furtwängler: Beschreib. der Vasensamml. I. p. 205 sqq.

4) Accurate de omnibus his rebus disputavit Stephani: Compte-rendu 1873 p. 133 sqq. omnibus illis compositis, quae huc spectant.

5) Cf. Inghirami: Vasi fittili III. 228. 293. 310. 311.

6) Cf. Lenormant et de Witte: Elite céramographique III. 70.

7) Cf. Inghirami l. c. IV. 312. Gerhard: Auserlesene Vasenbilder II. 150. 189.

8) Inghirami l. c. III. 228. 310.

9) Gerhard l. c, III. 158. 189.

10) Cf. Archaeol. Zeitung 1851 tb. 29. Elite III. 70. Inghirami III. 293.

vel adolescentes filii, amici [1]), qui equos [2]) quoque vel canes [3]) ducunt. Invenitur etiam currus, qui praesto est filio adolescenti. [4]) Saepenumero fit, ut pro virgine, quae illi ministrat, Victoria posita sit, [5]) de qua iam saepe disputatum est. Sed dubium esse non potest, quin illa plerumque adsit, ut significetur, bellum vel iter felicem habiturum esse exitum. [6]) Victoriam in sacris ministrantem cum vascula quaedam [7]) tum ea praebent, quae sculpta sunt in pluteo templi Minervae Victoriae in arce Athenarum dedicati, ubi Victoriae omnia ad sacrificium necessaria comparare videntur. [8]) At fieri posse, ut Victoria adsit ad victoriam partam indicandam, nemo negabit. Sed hoc eam tangit quaestionem, utrum libatio facta sit, ut gratiae agantur deis necne. Qua in re hoc tempore omnes vv. dd. consentire puto, inveniri et locos scriptorum et monumenta, quae hoc firmant, quamvis raro; sed in petendo libationem, in gratia referenda anathemata vulgo in usu fuisse, multis testimoniis probatur. Equidem Homeri Iliadis locum afferam, qui indicare videtur, libationem fieri ad gratias agendas, (*K*. 577). Poeta, postquam narravit, Ulixem et Diomedem, quod inierant, Minerva adiuvante bene perfecisse, hoc modo pergit:

Τὼ δὲ λοεσσαμένω καὶ ἀλειψαμένω λίπ' ἐλαίῳ
δείπνῳ ἐφιζανέτην, ἀπὸ δὲ κρητῆρος Ἀθήνῃ
πλείον ἀφυσσάμενοι λεῖβον μελιηδέα οἶνον. [9])

Addenda sunt perpauca monumenta. Stephani praeter omnia huc vocat vasculum, in quo Victoria libationem

---

[1]) Cf. Inghirami l. c. IV. 311.
[2]) Gerhard l. c. 291. 292.
[3]) Gerhard. l. c. IV. 267. Mon. dell. Inst. I. 26,3.
[4]) Cf. Stephani: Vasensamml. d. Kaiserl. Ermitage. no 1271.
[5]) Cf. Arch. Ztg. 1865 tb. 204. [2]. Gerhard. l. c. II. tb. 150.
[6]) Cf. Stephani Compte-rendu 1873. p. 184 sqq. p. 212 sqq.
[7]) Cf. Gerhard l. c. II. 81. III. 155, alia.
[8]) Cf. Kekulé: Die Ballustrade der Athena Nike.
[9]) Cf. Bernhardi. l. c. p. 7.

effundit ad gratiam referendam pro victoria Acamantidis tribus.[1]) Atque quamquam pleraque illa vascula, quae huc referuntur, adolescentem exeuntem praebere constat, tamen talia quoque exstare, quae illustrant temporis momentum, quo redit adolescens libationemque offert deis, ut gratias agat pro victoria vel felici reditu equidem non negem. E. g. cf. quod delineavit Tischbein[2]): Adolescens armatus in equo sedens hastam tenet, in qua galea adfixa est, quam illum pugnando praedatum esse patet. Cui appropinquat mulier, quae pateram adolescenti praebet, ut libationem effundat.[3])

Sed non solum ut felicem eventum peterent, priusquam bellum vel iter ingrederentur, libabant Graeci, sed etiam ut deum arcesserent ad auxilium ferendum. Commemorem Homeri Iliadis locum,[4]) ubi Achilles a ventis, Borea et Zephyro, petit libando, ut ignem inflent, quo Patroclem mortuum comburat.

Libationem non solum ad futurum tempus spectare, sed etiam ad praeteritum iam supra demonstravi. Nunc quidem pauca dicenda sunt de simili libandi genere, quo piaculum vel lustrum efficiatur. Quibus de rebus ad libationes spectans Stengel[5]) haec profert: *Bei Sühnopfern ist das Tier unerlässlich. Denn nur ein solches kann die Schuld des Opfernden auf sich nehmen und sühnen und sie sind auch die einzigen Opfer, bei denen die Spenden ganz fehlen, (nicht zu verwechseln ist damit die Ceremonie bei der Reinigung eines Schuldbefleckten, wobei, wie wir gesehen haben, νηφάλια in die Flamme gegossen werden).* Dubitari non potest, quin ut aliqua res expietur, posterioribus temporibus plerumque

[1]) Panofka: Musée Blacas I.

[2]) Vases d'Hamilton II. 57.

[3]) Cf. Millingen: Peint. de div. coll. pl. 47. 48.

[4]) Ψ. 196 sqq.

[5]) Jahns Jahrb. f. Philologie 1887 p. 652.

immolata sint animalia pro homine. Sed Homeri carmina, quae quidem piacula contineant, hoc in sacrificii genere nihil aliud sentire, atque in aliis deorum sacrificiis, negari non potest.[1] Stengelio statim concedam, quae dicit de lustratione,[2] sed dissentio ab iis, quae profert ille de libationibus in sacrificio piaculari nunquam adhibitis. Nam primum cf. Pausaniae verba,[3] ubi invenitur oraculum, quod dedit Pythia Arcadibus, qui, ut fame et inopia liberarentur, deum adierunt:

Ἄρκαδες Ἀζᾶνες βαλανηφάγοι, οἳ Φιγάλειαν
νάσσασθ' ἱππολεχοῦς Δηοῦς κρυπτήριον ἄντρον,
ἥκετε πευσόμενοι λιμοῦ λύσιν ἀλγινόεντος
μοῦνοι δὶς νομάδες, μοῦνοι πάλιν ἀγριοδαῖται.
Δηὼ μέν σε ἔπαυσε νομῆς, Δηὼ δὲ νομήων
ἐλκησισταχύων καὶ ναστοφάγον πάλι θῆκε,
νοσφισθεῖσα γέρα προτέρων τιμάς τε παλαιάς.
καί σ' ἀλληλοφάγον θήσει τάχα καὶ τεκνοδαίτην
εἰ μὴ πανδήμοις λοιβαῖς χόλον ἱλάσσεσθε
σήραγγός τε μυχὸν θείαις κοσμήσετε τιμαῖς.[4]

His e verbis dilucide apparet, Pythiam, ut deae ira leniretur, nihil aliud caerimoniae postulasse, nisi libationes, a toto populo oblatas neque de homine vel hominibus lustratis cogitari potest.[5] De victimis nihil dictum

---

[1]) Cf. Jl. *A*. 449. *I*. 500.

[2]) Cf. Schömann: l. c. II. p. 363. Stengel: Griechische Sakralaltertümer p. 92.

[3]) VIII. 42. 4.

[4]) De hoc cultu perantiquo disputavi p. 7.

[5]) Miror, quod Stengel (Griechische Sakralaltert. p. 87) sacrificia deis inferis oblata et sacrificia piacularia discerni non posse censet; nam hoc facile fieri posse puto, cum statuimus, deis inferis certis diebus sacrificatum esse eodem modo, quo deis superis, sed piacula plerumque facta esse, ut singulari occasione pestilentia, fames, alia avertantur; tamen negandum non est, certos dies festos speciem habere piaculi. Sed utut res se habet, Stengelium non recte contendere censeo, numquam exstitisse libationes in sacrificiis piacularibus.

est. Aliud oraculum, quod datum est ad pestilentiam avertendam[1]) praeter alia libationes praescribit, quae deis inferis offerendae sunt; tum de sanguine effuso, aliis fit mentio. Quamquam aliis deis libatur, aliis victima immolatur, tamen tota caerimonia habenda est piacularis.[2]) Quae cum ita sint, statuendum esse mihi persuasi, certis occasionibus non sacrificium solum piaculare, sed cum libationibus coniunctum vel libationes solas adhibitas esse. Quae ut accuratius definiantur, testimonia desunt, e quibus haec res melius intelligatur.

Summi est momenti constituere, quo modo fecerint Graeci iuris iurandi caerimonias. Qua de re Bernhardi[3]) ita disseruit, ut dicat primum de illa libatione, quae cum sacrificio coniuncta invenitur, tum de libatione sola. Quibus verbis haec addit: *Aus den beiden letzteren Versen*[4]) *geht hervor, dass die Libation auch bei Eiden in ihrer selbstständigen Form als abgekürztes Opfer Anwendung fand. Denn es ist unmöglich anzunehmen, dass der Dichter, indem er den nebensächlichen Akt des Libierens hervorhob, dabei die Hauptsache, das Thieropfer, mitverstanden wissen wollte.* Quae ad verba haec animadvertit: *Dem widerspricht natürlich nicht die Thatsache, dass in nachhomerischer Zeit σπονδαί Ausdruck für das vollständige Vertragsopfer geworden ist. Die termini technici bilden sich eben nach ihren eigenen Gesetzen.* Equidem de his rebus plane aliter sentio, atque ille vir doctus. Neque enim libationem tantum valuisse, quantum victimam refutare iam supra conatus sum; tum iis locis consideratis, qui ad hanc ipsam quaestionem spectant, eodem modo id, quod proposui, firmatur. Errant, qui putent, iam Homerum consuetudinem novisse victimae in iure iurando comburendae, id quod posterioribus

---

[1]) Kaibel: Epigr. graec. n. 1034.
[2]) Cf. ibidem n. 1035, alia.
[3]) l. c. p. 11.
[4]) Hom. Od. ξ 331, τ. 288.

temporibus saepe invenimus.[1]) Nam uterque locus,[2]) ubi accuratius narratur caerimonia, nihil continet de victimis combustis, sed modo de libatione. Componam eos versus, qui huc pertinent: (*Γ.* 245 - 301)

κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστά,
ἄρνε δύω καὶ οἶνον ἐύφρονα, καρπὸν ἀρούρης,
ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ· φέρε δὲ κρητῆρα φαεινὸν
κῆρυξ Ἰδαῖος ἠδὲ χρύσεια κύπελλα· . . . .

268 *. . . . . ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ*
ὅρκια πιστὰ θεῶν σύναγον, κρητῆρι δὲ οἶνον

μίσγον, ἀτὰρ βασιλεῦσιν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν.
Ἀτρεΐδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο
ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας· αὐτὰρ ἔπειτα
κήρυκες Τρώων καὶ Ἀχαιῶν νεῖμαν ἀρίστοις.

Tum postquam testatus est Atrides deos superos: Jovem, Solem; terrestres: Flumina, Tellurem; inferos: Furias, foederis conditiones pronunciantur et hoc modo pergit poeta:

292 *ἦ καὶ ἀπὸ στομάχους ἀρνῶν τάμε νηλέι χαλκῷ.*
καὶ τοὺς μὲν κατέθηκεν ἐπὶ χθονὸς ἀσπαίροντας
θυμοῦ δευομένους· ἀπὸ γὰρ μένος εἵλετο χαλκός·

οἶνον δ' ἐκ κρητῆρος ἀφυσσόμενοι δεπάεσσιν
ἔκχεον, ἠδ' εὔχοντο θεοῖς αἰειγενέτῃσιν.
ὧδε δέ τις εἴπεσκεν Ἀχαιῶν τε Τρώων τε·
„Ζεῦ κύδιστε μέγιστε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι
ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,

ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος
αὐτῶν καὶ τεκέων, ἄλοχοι δ' ἄλλοισι δαμεῖεν.“

---

[1]) Cf. Schömann l. c. p. 238.

[2]) Jliad. *Γ.* vs. 245—301. *T.* 250. sqq.

Postremo Priamus paucis verbis factis, in urbem revertitur, id quod poeta hoc modo describit:

ἦ ῥα καὶ ἐς δίφρον ἄρνας θέτο ἰσόθεος φώς,
ἂν δ' ἄρ' ἔβαιν' αὐτός, κατὰ δ' ἡνία τεῖνεν ὀπίσσω·
πὰρ δέ οἱ Ἀντήνωρ περικαλλέα βήσετο δίφρον.
τὼ μὲν ἄρ' ἄψορροι προτὶ Ἴλιον ἀπονέοντο.

Breviter conferam, quae refert poeta his in versibus. Primum fetiales omnibus allatis, quae opus sunt caerimoniae, duabus ovibus, vino, cratere, poculis, vinum miscent cum aqua in crateribus et aquam effundunt in heroum manus. Tum Atrides oves crinibus capitis subsectis devovet deis inferis.[1]) Fit quoque, ut hos crines manibus teneant[2]) principes eorum, qui adsunt sacrificio; qua re illos iuris iurandi participes esse significetur.[3]) Denique deos testatus oves iugulatas humi ponit (*κατέθηκεν ἐπὶ χθονός*). Quibus rebus factis vinum libatur deis atque ita, ut humi effundatur omnis liquor (*ἔκχεον*), cum ipsos se exsecrantur iure iurando non servato. Hac caerimonia finita, postquam in currum ascenderunt Priamus eiusque auriga in urbem redeunt ovibus in eodem curru positis. Nullo loco dictum est, oves deis esse sacrificatas; sed corpora humi ponuntur, ut sanguis effundatur in terram, meo quidem iudicio, libatio deis inferis facta, superis vino oblato, quo non fruuntur homines, quia exsecratione impurum fit. Postquam sanguis ex iugulis effluxit, corpora in urbem portantur, ut aliquo modo removeantur. Nam simili modo altero illo loco[4]) aper iugulatus omni sanguine profuso in mare mittitur, ut piscibus sit cibo[5])

---

[1]) Cf. Hermann: Gottesdienstl. Altert. p. 163.

[2]) Cf. Schömann: Griechische Altert. II. p. 230.

[3]) Cf. Stengel: Griech. Sakralaltert. p. 94/5.

[4]) *T.* vs. 250 sqq.

[5]) Nam *τὸν* (vs. 267) non ad *στόμαχον*, sed ad *κάπρον* spectare, ex eis verbis intelligi potest, quae adscripsi p. 26 (*Γ.* vs. 293), ubi vocem *τοὺς*

(vs. 268). Quibus ex rebus dilucide apparet, animalia non adhiberi nisi ut sanguis effundatur; ipsa corpora, quae hac in re nihil valent, aliquo modo aufferuntur,[1]) id quod facillime fieri potuit combustione. Itaque verisimillimum puto, posterioribus temporibus corpora non a sacrificii loco remota posteaque combusta esse, sed hoc ipsi caerimoniae additum esse. Accedit quoque, quod igni vim lustrandi et purgandi inesse opinabantur Graeci. Sed non solum in coniectura nitar, cum animalium sanguinem in iure iurando effusum libationem habendam esse contendo. Nam in inscriptione illa Andaniensi hoc praecipitur:[2]) *Περὶ ἱε]ρῶν καὶ ἱερᾶν. Ὁ γραμματεὺς τῶν συνέδρων τοὺς γενηθέντας ἱεροὺς ὁρκιξάτω, ἂμ μή τις ἀρρωσ[τεῖ, ἱερῶ]ν καιομένων, αἷμα καὶ οἶνον σπένδοντας, τὸν ὅρκον τὸν ὑπογεγραμμένον·*[3]) . . . . . .

Itaque dubitandum non esse opinor, quin vinum et sanguis primum quidem effusa sint, ut alliciantur dei, qui adsint caerimoniae. Atque Homeri carmina his quoque in rebus non prima huius rei vestigia praebere viri docti intelligere coeperunt. Nam in primis deos inferos solos huic caerimoniae adesse oportebat, ut facile intelligi possit, sanguinis libationes et sobrias primas esse adhibitas; postea, cum deos quoque superos iuri iurando adesse vellet religio, vini libationes additae sunt. — Tum vero alio sensu Graeci se ipsos exsecrantes vino libando in eam cogitationem inciderunt, ut dicerent: *ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος.* — Quam opinionem ea quo-

---

non ad *στομάχους*, sed ad *ἀρνῶν* ducendam esse hinc apparet, quod additur *ἀσπαίροντας, θυμοῦ δευομένους*, id quod non dici potest, nisi de ipsis ovibus.

[1]) Stengel: Jahns Jahrb. 1883. p. 377/8. tales composuit locos, quibus demonstratur, corpora animalium, quorum sanguis effluxit, vario modo ablata esse. Cf. Griechische Sakralaltert. p. 96.

[2]) Cf. Dittenberger: Sylloge inscript. graec. n. 388, 2 p. 567.

[3]) Cf. Paus. VIII. 2. 3.

que re firmari puto, quod haec exsecratio Homeri in versibus non ab Agamemnone sollemniter profertur sed vulgi in animis volvitur, id quod hisce verbis exprimitur:

ὧδε δέ τις εἴπεσκε Ἀχαιῶν τε Τρώων τε.

Altero illo loco Odysseae (I. 250. sqq.) non commemoratur vini libatio, quam temere omissam esse iam Bernhardi summo iure negavit.[1]) Nam poeta hoc loco omnia multo brevius narrat, quam illo. Quo factum est, ut non proferat nisi libationem graviorem, quae iuris iurandi diis, furiis, oblata est. Inter alios Homeri locos, qui huc pertinent, unus exstat, quo dilucide probatur, nihil aliud ovium adhibitum esse, ac sanguinem. Il. Δ. vs. 158. sqq.

οὐ μέν πως ἅλιον πέλει ὅρκιον αἷμά τε ἀρνῶν
σπονδαί τ' ἄκρητοι καὶ δεξιαί, ᾗς ἐπέπιθμεν.

Ceteris locis Homeri carminum, qui ad ius iurandum spectant, breviter libationis fit mentio[2]) atque poeta bis utitur voce ἀποσπένδειν, semel σπένδειν. Similes inveniuntur Aristophanis loci[3]). Cf. quoque Diodorum III. 71. 3. Iam vero Euripidis Iphig. Aulid. vs. 60. sqq. demonstratur, victimas, quarum sanguine pro libatione utuntur proci, combustas esse:

καί νιν εἰσῆλθεν τάδε
ὅρκους συνάψαι, δεξιάς τε συμβαλεῖν
μνηστῆρας ἀλλήλοισιν καὶ δι' ἐμπύρων
σπονδὰς καθεῖναι κἀπαράσασθαι τάδε,
ὅτου γυνὴ γένοιτο Τυνδαρὶς κόρη,
τούτῳ συναμύνειν . . . .

Facile est cognitu, his in versibus pressas esse voces **σπονδὰς καθεῖναι** atque rem minorem indicari sacrificium vel potius caerimoniam igne paratam δι' ἐμπύρων. Huc

[1]) l. c. p. 11.
[2]) Od. γ. 394. ξ 331.
[3]) Cf. Vesp. 1046. 7. Acharn. 148.

quoque quadrat, vocem σπονδαί, quae posterioribus temporibus *foedus* vel *indutias* significat, ab actione libandi ducendam esse, quam primum locum semper tenuisse inde quoque apparet.

Nunc vero pauca disserenda sunt de vasculo quodam nigris figuris depicto, quod ad ius iurandum pertinere Conze v. d. existimavit. [1]) Qua de re equidem aliter sentio. Ante aram adolescens armis indutus in dextram versus tollit sinistram, dextraque tenet pateram, e qua in aram libet. Quem exadversus senex palliatus invenitur, qui sinistra nisus sceptro dextram simili modo tollit, quo adolescens sinistram. Qua de amphora Conze hoc modo iudicat: *Con grandissima probabilità si ravvisa in questa scena un voto fatto dal giovane in modo solenne all' altare fiammeggiante ed in presenza di persona d'età provetta.* Equidem non votum fieri censeo, sed tantummodo precationem, quam facere solebant Graeci libando. Nam hanc amphoram in eo genere habendam esse, quo adolescens pingitur, domum patris relinquens, ut in proelium se conferat, nemo negabit; et quod caerimonia in ara facta solito sollemnior fit, non demonstrare mihi videtur, votum factum esse ab adolescente. Quantum scio, non exstant monumenta, in quibus iuris iurandi caerimonias, libationem, alia picta esse probari possit.

Omnibus deis libationes oblatas esse, pro certo habendum est neque opus esse censeo, huius rei exempla conferre. Nam eis locis, ubi invenitur vox ἄσπονδος coniuncta cum θεός, non indicatum esse censeo deum, cui non libetur, sed quocum *foedus* (σπονδαί) fieri non possit id est *implacabilem*. Vox ἄσπονδος hoc modo intellecta omissis aliis invenitur apud Aeschylum Agamemn. vs. 1235 sqq.

ἀμφίσβαιναν ἢ Σκύλλαν τινὰ
οἰκοῦσαν ἐν πέτραισι ναυτίλων βλάβην

[1]) Annali dell' Instituto 1868. tb. *H.* p. 265. sqq.

θύουσαν Ἅιδου μῆτερ' ἄσπονδόν τ' Ἄρη
φίλοις πνέουσαν.

Poeta loquitur de Marte crudeli et inexorabili, cui libationes offerri constat.[1]) Eodem modo res sese habet in Euripidis Alc. vs. 424; ubi poeta refert de deo infero:

ἀλλ' ἐκφορὰν γὰρ τοῦδε θήσομαι νεκροῦ
πάρεστε καὶ μένοντες ἀντηχήσατε
παιᾶνα τῷ κάτωθεν ἀσπόνδῳ θεῷ.

Nam Plutoni libationes factas esse cum aliis locis tum Euripidis versibus[2]) probatur:

σοὶ τῷ πάντων μεδέοντι χοὴν
πέλανόν τε φέρω, Ζεὺς εἴτ' Ἀΐδης
ὀνομαζόμενος στέργεις . . . . . .

Sequuntur verba, quibus a deo petitur, ut mortuorum animas ad lucem mittat. Iam vero alius Euripidis locus accedit, quo demonstratur, poetam hac voce ἄσπονδος eodem modo usum esse Electr. vs. 905:

λέγ' εἴ τι χρῄζεις, σύγγον'· ἀσπόνδοισι γὰρ
νόμοισιν ἔχθραν τῷδε συμβεβλήκαμεν.[3])

Restat, ut pauca addam de Sophoclis scholiastae loco ad. Oed. Col. vs. 100. Nam postquam de iis libationibus, quas νηφάλια vocant Graeci disseruit, εἰσὶ δέ τινες, inquit, ἄσπονδοι θυσίαι κατὰ τύχην εἰς ἔθος προελθοῦσαι. Quibus de verbis Stengel iudicat,[4]) κατὰ τύχην non esse intelligendum *zufällig* sed *unter gewissen Umständen*, oppositum voci κατὰ νόμον. Quod sacrificii genus ad piacula refert ille v. d., id quod non fieri posse supra demonstravi. Quid velint scholiastae verba, statuere non ausim; hoc autem tenendum esse censeo, illa spectare ad singularem quendam casum.

---

[1]) Cf. Eur. Phoen. vs. 933 sqq.
[2]) Inc. fab. fr. 912 apud Nauckium: fragm. trag. gr.[2] p. 655.
[3]) Cf. Plut. Pericl. 30. Thuc. III. 111. 113—I. 57. Demosth. 18, 232.
[4]) Hermes XXII. p. 645—48.

Quamquam omnibus deis libatum esse existimandum est, tamen non eodem modo omnibus deis libationes esse oblatas constat. Iis temporibus, de quibus accuratius iudicare possumus, plerumque vinum libatur deis, sed exstant numina quaedam, quibus vinum offerri non licebat. Quo de genere libationum nunc disputaturus sum.

Quaenam sint eae libationes, quae graece vocantur *νηφάλια*, Pollux[1]) hoc modo explicat: *νήφειν, νηφαλίως ἔχειν, νηφαντικὸν εἶναι· τὸ γὰρ νηφαλιεύειν τὸ νηφάλια θύειν ἔλεγον, ὅπερ ἐστὶ τὸ χρῆσθαι θυσίαις ἀοίνοις, ὧν τὰς ἐναντίας θυσίας ὠνόμαζον οἰνοσπόνδους.* . . . . . Ex iis quoque verbis, quae profert Plutarchus[2]) dilucide apparet, sibi opposita esse dua illa genera libationum: *Ἕλληνές τε νηφάλια ταῦτα καὶ μελίσπονδα θύουσιν, ὡς ἀντίθετον φύσιν μάλιστα τοῦ μέλιτος πρὸς τὸν οἶνον ἔχοντος.* Qua de re accuratius disputat Theophrastus apud Porphyrium:[3]) *διὰ πολλῶν δὲ ὁ Θεόφραστος τῶν παρ' ἑκάστοις πατρίων ἐπιδείξας, ὅτι τὸ παλαιὸν τῶν θυσιῶν διὰ τῶν καρπῶν ἦν, ἔτ' εἰπὼν πρότερον τῆς πόας λαμβανομένης, καὶ τὰ τῶν σπονδῶν ἐξηγεῖται τοῦτον τὸν τρόπον· τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια παρὰ πολλοῖς ἦν· νηφάλια δ' ἐστὶν τὰ ὑδρόσπονδα, τὰ δὲ μετὰ ταῦτα μελίσπονδα· τοῦτον γὰρ ἕτοιμον παρὰ μελίττων πρῶτον ἐλάβομεν τὸν ὑγρὸν καρπόν· εἶτ' ἐλαιόσπονδα· τέλος δ' ἐπὶ πᾶσιν τὰ ὕστερον γεγονότα οἰνόσπονδα.* Quo loco primum quidem optime firmari censeo, id quod supra posui de antiquissima sacrificii forma[4]) tum quo ordine varii liquores libationibus adhibiti sint. Quamquam non talis fides habenda est tenori, quem statuit ille, cum dicit, primum aquam, tum mel, tum oleum libatum esse, tamen mea quidem sententia cum Theophrasto in universo consentiendum est. Nam libationes sobrias priores fuisse facile intelligitur, cum in mentem

[1]) VI. 26.
[2]) moral. p. 672 B. (-quaest conv. IV. 6. 2.)
[3]) de abstinentia II. 20.
[4]) Cf. Plat. legg. VI. p. 782.

vocamus, vitis culturam posterioribus demum temporibus in Graeciam latam esse. Quam rem optime enucleavit E. Curtius:[1]) *Die Götter lebten nicht anders und besser, als die Menschen; solange diese, von der Aussenwelt abgeschlossen, auf die Erzeugnisse ihres Bodens angewiesen waren, nahm man zu den Spenden Honig und Milch, Pappelblätter, Fenchel, Thymian; die Bergkräuter dienten als Gewürz. Es war das „indoeuropäische Ureigentum", wie es Hehn nennt, und auch, nachdem die Hellenen Oel und Wein angebaut hatten und sich den weinlosen Barbaren des Binnenlandes gegenüber ihrer reich entwickelten Kultur freuten, blieben die νηφάλια ἱερά, νηφάλιοι βωμοί in alten Ehren.*

Nunc vero exstat quaestio, quibusnam deis oblata sint haec νηφάλια. Cuius rei optimus testis exstat scholiasta in Sophoclis Oedip. Colon. vs. 100, qui ad Polemonem spectans Athenis νηφάλια sacrificata esse non minus furiis quam Mnemosynae, Musis, — Aurorae, Soli, Lunae, — Veneri Uraniae; et paulo post addit Polemo, eodem modo esse sacrificatum Baccho et Erechthei filiabus.[2]) Singulorum numinum cultus considerandi sunt. Libationes, quae fiebant furiis optime cognoscendae sunt apud Aeschylum Eumenid. vs. 106. sqq:

> ἦ πολλὰ μὲν δὴ τῶν ἐμῶν ἐλείξατε,
> χοάς τ' ἀοίνους, νηφάλια μειλίγματα,
> καὶ νυκτίσεμνα δεῖπν' ἐπ' ἐσχάρᾳ πυρὸς
> ἔθυον, ὥραν οὐδενὸς κοινὴν θεῶν.[3])

Scholiasta ad Aeschinis Timarch. § 188. liba et lac Athenis oblata esse furiis tradit. Pausanias[4]) refert, in furiarum templo, quod fuit prope Sicyonem, effusam esse

---

[1]) Studien zur Geschichte des griechischen Olymps (*Sitzungsber. der berl. Akad. d. Wiss. 1890, 2. p. 1842*).

[2]) Cf. Suidas s. v. νηφάλιος.

[3]) Cf. Aesch. Eumen. vs. 858 sqq.

[4]) II. 11. 4.

μελίκρατον σπονδήν. Accuratius nos docet Sophocles,[1]) quo modo fecerint Athenienses libamina furiarum: aqua hauriebatur e fonte sacro perenni, quae in cratere cum melle mixta ac tris humi effusa libata est. His igitur in furiarum sacrificiis mel cum aqua mixtum invenitur, id quod vocatur *μελίκρατον*; praeter ea lac quoque illis libatur; qua ex re elucet, non semper eosdem adhibitos esse liquores, quos effundebant diis his inferis. Sed de hoc uno omnia testimonia consentiunt, vinum nunquam allatum esse. Nobis inquirentibus, quomodo factum sit, ut furiis vinum libari non licuerit, facile occurrit hoc: Illae deae, quae crudeles apud inferos versabantur, non erant participes laetitiae, qua dei superi saepe delectabantur. Quo fiebat, ut non vinum, quod excitat animos, furiis offerretur, sed tales liquores, qui leniunt animos, ut mel, lac, oleum. Quod iam hinc apparet, quod hi potus vocantur *μειλίγματα*[2]) neque aliter meo quidem iudicio intelligenda sunt Sophoclis verba[3]):

ἀλλ᾽ ἵνα τῷδ᾽ ἐν ἀ-
φθέγκτῳ μὴ προπέσῃς νάπει
ποιάεντι κάθυδρος οὗ
κρατὴρ μειλιχίων ποτῶν
ῥεύματι συντρέχει.

ubi loquitur poeta de aqua in cratere mixta cum melle vel lacte.[4])

Sed videamus, quo modo se habeant libationes, quae effundebantur Mnemosynae et Musis. Praeter Sophoclis scholiastam et Suidam huc maxime pertinet Plutarchus,[5]) qui Musis *νηφάλια* oblata esse hoc modo confirmat: *ὅταν δὲ τοιοῦτοι συνέλθωσιν ἄνδρες, οἵους ὁ Περίανδρος ἡμᾶς παρα-*

---

[1]) Oed Colon vs. 422. sqq.
[2]) Cf Aeschyl. Eumen. vs. 107, alia.
[3]) Oed Colon. 156 7
[4]) Cf. Apollonii Rhod libr IV. vs. 712. sqq.
[5]) moral 156 D. (Sept. sap conv. 13.)

κέκληκεν οὐδὲν ἔργον ἐστὶν, οἶμαι, κύλικος οὐδὲ οἰνοχόης, ἀλλ' αἱ Μοῦσαι καθάπερ κρατῆρα νηφάλιον ἐν μέσῳ προθέμεναι τὸν λόγον . . . . De sacrificio Mnemosynae facto videatur inscriptio tabellae marmoris pentelici Piraei reperta, ubi inveniuntur haec verba[1]):

Ἡλίῳ ἀρεστῆρα κηρίον·
Μνημοσύνῃ ἀρεστῆρα· κηρίον·
νηφάλιο τρεῖς βωμοί.

Quales fuerint liquores Musis effusi non traditur, nisi uno loco, apud Theocritum (idyll. I. 143), ubi lac libatur Musis. Contendi posse censeo, non semper eosdem esse adhibitos liquores, ut iam in furiarum libaminibus animadvertimus; sed pro certo habendum est, mel et lac et fortasse oleum iu usu fuisse. Aquam quoque admixtam esse his Musarum libationibus Plutarchi loco probatur,[2]) ubi mentio fit templi Musarum siti prope fontem, e quo aqua libationum hauriebatur. — Sed exstant loci, quibus traditur, et Musis et Mnemosynae vinum libatum esse. Praeter omnia Pindari verba[3]) hoc firmant:

Θάλλοντος ἀνδρῶν ὡς ὅτε συμποσίου
δεύτερον κρατῆρα Μοισαίων μελέων
κίρναμεν . . . .

Idem referunt Plutarchus[4]) et Athenaeus,[5]) qui vinum libatum esse et Musis et Mnemosynae confirmat. Sed omnibus his locis non de caerimonia religiosa dictum est, sed de convivio, quam rem postea suo loco tangam.

De nympharum libaminibus non multum traditum est. Praeter Polemonem hanc rem breviter perstringit Pausanias,[6]) disserens de Eliorum cultibus: *μόναις δὲ ταῖς*

[1]) Corp. inscr. attic II.[3] no. 1651.
[2]) moral. 402 C. = de Pythiae oracul. 17.
[3]) Isthm. V. (VI). vs. 12.
[4]) moral. p. 164 D = Sept. sap. conv. 21. extr.
[5]) XI. p. 503 F.
[6]) V. 15. 6.

νύμφαις οὐ νομίζουσιν οἶνον, οὐδὲ ταῖς Δεσποίναις σπένδειν . . . E. Curtius[1]) summo iure premit, hunc nympharum cultum antiquissimum fuisse ac priorem, quam deorum Olympiorum religionem, qui multi, postquam in Graeciam pervenerunt, initio cum nymphis coniuncti inveniuntur. His rebus consideratis facile intelligitur, quid sit, cur talibus numinibus perantiquis multo post haec sacrificia *νηφάλια* adhaeserint. — Eodem modo sese habent lucis numina, quibus *νηφάλια* oblata esse Polemo refert. Iam supra attuli inscriptionem, in qua Soli et Mnemosynae *νηφάλια* fiunt. Addendum est, quae profert Athenaeus[2]) e Phylarchi scriptis hauriens: *παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν οἱ θύοντες τῷ Ἡλίῳ, ὥς φησι Φύλαρχος ἐν τῇ δωδεκάτῃ τῶν ἱστοριῶν, μέλι σπένδουσιν, οἶνον οὐ φέροντες τοῖς βωμοῖς, δεῖν λέγοντες τὸν τὰ ὅλα συνέχοντα καὶ διακρατοῦντα θεὸν καὶ ἀεὶ περιπολεύοντα τὸν κόσμον ἀλλότριον εἶναι μέθης.* Quod hoc modo fictum esse non tam ad cultum antiquissimum Solis interpretandum, quam ad dei gravitatem significandam patere mihi videtur.

Restat, ut disputetur de aliis quibusdam numinibus, quibus *νηφάλια* offerri traditur. Apud Polemonem mentio fit Veneris Uraniae, de qua dea idem testari videtur Empedocles,[3]) qui haec dicit:

Κύπρις βασίλεια,
τὴν οἵγ' εὐσεβέεσσιν ἀγάλμασιν ἱλάσκονται
γραπτοῖς δὲ ζώοισιν μύροισί τε δαιδαλεόδμοις
σμύρνης τ' ἀκρήτου θυσίαις, λιβάνου τε θυώδους
ξανθῶν τε σπονδὰς μελίτων ῥίπτοντες ἐς οὖδας.

De hac caerimonia Engel[4]) hoc modo iudicat: *Weinlose Opfer, νηφάλια ἱερά, werden ihr als Sühngottheit, wie den*

---

[1]) l. c. (Studien z. Gesch. des griech. Olymps) p. 1142. 1143. cf. Hermes XXI. p. 200 sqq.

[2]) XV. p. 693 E.

[3]) apud Athen. XII. p. 510 D.

[4]) „Kypros" Berlin. 1841. II. p. 153.

Eumeniden, Ares, Musen und Nymphen dargebracht. Quam sententiam illis Empedoclis verbis firmari censeo, ubi libationes humi effunduntur, id quod fieri solebat in inferorum deorum cultu.

Baccho νηφάλια facta esse praeter Polemonem Plutarchus[1]) refert, quo ex loco plura concludere non ausim. Sed iure Stengel[2]) contendere videtur, Baccho deo infero νηφάλια oblata esse. Iam vero Erechtheï filiis libationes sobrias effusas esse, quia patre, Telluris filio, natae inferorum sacrificii participes erant, non est, quod demonstrem. In eodem numinum genere Sosipolidem quoque habendum esse, hinc elucet, quod Elios illum in iure iurando testatos esse Pausanias tradit.[3]) Idem nos docet,[4]) vinum in eam aram, quae Olympiae omnibus deis dedicata erat, libatum non esse; id quod propterea factum esse censeo, quod dei quoque inferi huius arae participes erant.

Quod pertinet ad cultum Jovis, quem Graeci ὕπατον in arce Athenarum venerabantur, eadem statuenda esse existimo, quae E. Curtius probavit in nympharum cultu disserendo. Nam hanc Jovis religionem perantiquam fuisse, hinc apparere puto, quod Pausanias[5]) Jovi liba libationesque vino non addito oblata esse tradit.

Hoc loco pauca addam de ea interpretatione, quam profert Diels in oraculis sibyllinis disputandis.[6]) Atque summo iure ille vir doctissimus premere videtur, libationes, quae νηφάλια in sacrificio piaculari adhibentur, arte coniungendas esse cum sanguinis libatione. Tum pergit ille

---

[1]) de tuend. san. pr. XIX.

[2]) Jahns Jahrb. f. Philologie 1887. p. 649. Griech. Sakralalt. p. 72.

[3]) VI. 20. 2.

[4]) V. 15. 10.

[5]) I. 26. 1.

[6]) Sibyllinische Blätter p. 71 sqq

ad Lupercalia spectans: *Diese nüchternen Spenden* (*νηφάλια*) *haben zunächst nur den Zweck, das vergossene Blut abzuwaschen, wie der s. 69[2] angeführte Lupercalienritus noch deutlich zeigt, sodann aber lindernd auf den Zorn der Unterirdischen einzuwirken (cf. Apoll. Rhod. Arg. IV. 702).* Qua cum interpretatione plane consentio, sed hoc statuere velim, illam vim sanguinis abluendi non primam infuisse libationibus sobriis, sed secundam accessisse alteri notioni irae leniendae. Nam cum videamus, Homeri temporibus[1]) sacrificia piacularia, qualia postea inveniuntur, nondum exstitisse, tamen *νηφάλια* inferis esse oblata maxime *μειλίγματα* constat; qua de re postea verba faciam.

Restat, ut eam libationem commemorem, quae fiebat in mysteriis. Qua de re etsi non multa sunt nota, tamen vox servata est, qua utebantur mystae ad actionem libandi significandam: *κρατηρίζειν*, (cf. Demosth. de cor. 259). Quam vocem Photius (170, 13) hoc modo explicat: *κρατηρίζων οἶνον· ἀπὸ κρατήρων ἐν τοῖς μυστηρίοις σπένδων.* Sed quo modo libatum sit, accuratius his e verbis intellegi nequit. Porro tradita sunt nomina vasculorum, quae mystae adhibebantur, ut *ἄμβιξ* (latine obba), *ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς σπένδουσι·*[2]) *κοτυλίσκος*,[3]) *πλημοχόη*.[4]) De his omnibus rebus breviter disseruit Lobeck (Aglaoph. p. 646. Anm. [b]). — Non nullius videtur momenti, quod paucis ante annis Thebis in Cabirio inventum est vasculi fragmentum, ubi Cabirus libans repraesentatus est.[5]) Sed statim occurrit, hoc loco nihil aliud pictum esse, ac necrodipnii[6]) formam, de qua postea faciam verba. Cabirus Baccho assimulatus in lecto iacens cantharum porrigit, ut puer, cui

---

1) Cf. Stengel: Jahns Jahrb. 1883 p. 361.
2) Glossae Gr.-Lat. „Obba".
3) Athen. XI. 479 C.
4) Athen. XI. 496 A.
5) Mitteil. d. athen. Inst. XIII. tb. 9.
6) Cf. O. Kern: Hermes. XXV. p. 3.

adscriptum est *ΠΑΙΣ*, vinum infundat. Qui omnino respondet vini ministro saepenumero in illis anaglyphis heroi adiuncto. — In eo est, ut puer e cratere hauriat vinum. — Itaque de libandi actione, quo modo in mysteriis adhibita sit, hoc quoque e vasculo nihil concludendum est, quoniam necrodipnii forma, ut saepe fiebat, ad deos inferos translata est.[1]) — De liquoribus a maenadibus Baccho effusis Euripides[2]) docere videtur, qui dicit:

> ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν
> νέκταρι, Συρίας δ' ὡς λιβάνου καπνός.

Iam vero transeam ad eas libationes, quae fiebant in Graecorum conviviis. Quamquam posterioribns temporibus certas libationes in omni convivio a convivis effusas esse constat, tamen auctores de illis ita inter se dissentiunt, ut difficile sit, controversias diiudicare. Primum dicam de iis libationibus, quas certo tenore adhibitas esse probari potest. Iam supra verba feci de coenae caerimoniis; quae ut accurate intelligi possint, duae partes epularum distinguendae sunt, quarum prior *δεῖπνον*, altera *συμπόσιον* vocatur. — Dubitari potest, num libatio facta sit, priusquam coena, id est *δεῖπνον*, inciperetur. Recte Bernhardi iudicat,[3]) hoc probari non posse Homeri carminibus; neque posterioribus temporibus, quantum scio, exstant testimonia, quae hoc firmant. Nam Athenaei locus (IV. p. 143 *E*) non spectat nisi ad Cretum consuetudinem. Sed tenendum est, quod supra exposui, libatum esse in eas animalium partes, quas convivae deis comburere solebant, priusquam ipsi ad coenam accederent. — Libationem solam posterioribus temporibus — Homeri carmina huic rei nihil suppeditant — numquam esse neglectam coena finita,

---

[1]) Cf. Furtwängler: Einleit. z. Samml. Sab. p. 29.
[2]) Bacch. vs. 142 sqq.
[3]) l. c. p. 5.

multi testantur. Quorum summus est testis Xenophanes,[1]) cuius versibus praeclaris uberrime illustrantur caerimoniae, quae fiunt ad convivium incohandum:

Νῦν γὰρ δὴ ζάπεδον καθαρὸν καὶ χεῖρες ἁπάντων
καὶ κύλικες· πλεκτοὺς δ' ἀμφιτιθεῖ στεφάνους,
ἄλλος δ' εὐῶδες μύρον ἐν φιάλῃ πορσύνει·
κρατὴρ δ' ἕστηκεν μεστὸς ἐϋφροσύνης·
ἄλλος δ' οἶνος ἑτοῖμος, ὃς οὔποτε φησὶ προδώσειν,
μείλιχος ἐν κεράμοις, ἄνθεος ὀσδόμενος·
ἐν δὲ μέσοις ἁγνὴν ὀδμὴν λιβανωτὸς ἵησιν,
ψυχρὸν δ' ἔστιν ὕδωρ καὶ γλυκὺ καὶ καθαρόν·
πάρκεινται δ' ἄρτοι ξανθοὶ γεραρή τε τράπεζα
τυροῦ καὶ μέλιτος πίονος ἀχθομένη·
βωμὸς δ' ἄνθεσιν ἂν τὸ μέσον πάντῃ πεπύκασται,
μολπὴ δ' ἀμφὶς ἔχει δώματα καὶ θαλίη.
χρῇ δὲ πρῶτον μὲν θεὸν ὑμνεῖν εὔφρονας ἄνδρας
εὐφήμοις μύθοις καὶ καθαροῖσι λόγοις.
σπείσαντες δὲ καὶ εὐξαμένους τὰ δίκαια δύνασθαι
πρήσσειν — ταῦτα γὰρ ὦν ἐστι προχειρότερον,
οὐχ ὕβρις — πίνειν ὁπόσον κεν ἔχων ἀφίκοιο
οἴκαδ' ἄνευ προπόλου, μὴ πάνυ γηραλέος· . . . κτλ.

Cf. Euripidis Ion. vs. 1032 sqq: *δείπνων ὅταν λήγωσι καὶ σπονδὰς θεοῖς | μέλλωσι λείβειν.*

Breviter Aristophanes[2]) omnia profert, quae huc pertinent:

ὕδωρ κατὰ χειρός· τὰς τραπέζας εἰσφέρειν·
δειπνῶμεν· ἀπονενίμμεθ', ἤδη σπένδομεν.

Atque Xenophon[3]) haec dicit: *καὶ σπονδῶν τῶν μετὰ τὸ δεῖπνον ἤδη γιγνομένων ἔσεισεν ὁ θεός.* Plato Socratem sodalesque coena finita libasse hoc modo narrat[4]): *Μετὰ*

---

[1]) fr. 1. Bergk. poet. lyr.[4] II. p. 110.
[2]) Vesp. vs. 1217 sqq.
[3]) Hellenic. IV. 7. 2.
[4]) conv. p. 176 A.

ταῦτα, ἔφη, κατακλινέντος τοῦ Σωκράτους καὶ δειπνήσαντος καὶ τῶν ἄλλων, σπονδάς τε σφᾶς καὶ ᾄσαντας τὸν θεὸν καὶ τἆλλα τὰ νομιζόμενα, τρέπεσθαι πρὸς τὸν πότον. — Omnibus ex his locis apparet, libationes in usu fuisse coena finita. Qua caerimonia facta omnes res praeparantur necessariae ad convivium, quas accurate describit Plato comicus, cuius versus tradit Athenaeus.[1]) Cobet,[2]) qui docte de hoc poeta disputavit, duos esse servos censet, quos de his rebus inter se colloquentes facit Plato:

A. *Ἄνδρες δεδειπνήκασιν ἤδη σχεδὸν ἅπαντες B. εὖ γε*

A. *Τί οὐ τρέχων σὺ τὰς τραπέζας ἐκφέρεις; ἐγὼ δὲ*
νίπτρον παρέξων ἔρχομαι B. κἀγὼ δὲ παρακορήσων·
σπονδὰς ἔπειτα παραχέας τὸν κότταβον παροίσω·

A. *τὴν παῖδα τοὺς αὐλοὺς ἐχρῆν ἔχειν πάλαι προχείρους*
καὶ προσαναφυσᾶν· τὸ μύρον ἤδη παράχεον βαδίζων
Αἰγύπτιον κἆτ' ἴρινον· στέφανον δ' ἔπειτ' ἑκάστῳ
δώσω φέρων τῶν ξυμποτῶν· νεοκρᾶτας ποιείτω.

B. *καὶ δὴ κέκραται.*

Hoc loco plura ab Athenaeo omissa esse, hinc concludit Cobet, quod fieri non possit, ut allatis cottabo et vino statim „mero madidi, cantu et lusu satiati" sint convivae; notum esse, post mensas demum remotas consuesse Graecos coronas afferre et libare; tum compotationis fuisse initium. Atque pergit poeta:

τὸν λιβανωτὸν ἐπιτιθεὶς εἶπε·
Σπονδὴ μὲν ἤδη γέγονε καὶ πίνοντές εἰσι πόῤῥω
καὶ σκόλιον ᾖσται, κότταβος δ' ἐξοίχεται θύραζε,
Αὐλοὺς δ' ἔχουσά τις κορίσκη Καρικὸν μέλος τι
μελίζεται τοῖς συμπόταις, κ' ἄλλην τρίγωνον εἶδον
ἔχουσαν, εἶτ' ᾖδεν πρὸς αὐτὸ μέλος Ἰωνικόν τι.

---

[1]) XV. p. 665. B.

[2]) Observationes criticae in Platonis comici reliquias p. 90. sqq.

Mensis remotis, quibus utebantur Graeci coenando alias mensas positas esse, libis, aliis deliciis exstructas, quae vocantur *δεύτεραι τράπεζαι*, cum alii tum Xenophanes[1]) demonstrant, cuius verba supra adscripsi. — Ut rite fieret libatio, primum opus erat manibus lavatis,[2]) ex quibus nominata saepe invenitur prima convivii libatio *μετανιπτρίς*,[3]) tum coronis ac tibiis, quae hac in caerimonia canebant. Cf. Plutarchi verba:[4]) *τὸν δὲ αὐλὸν οὐδὲ βουλομένοις ἀπώσασθαι τῆς τραπέζης ἔστιν· αἱ γὰρ σπονδαὶ ποθοῦσιν αὐτὸν ἅμα τῷ στεφάνῳ καὶ συνεπιφθέγγεται τῷ παιᾶνι τὸ θεῖον.*[5]) Porro his e Plutarchi verbis elucet, et cecinisse Graecos hac in libatione, cuius consuetudinis iam alia exstant testimonia.[6]) Cf. Philochorum ap. Athenaeum XIV. 628: *οἱ παλαιοὶ οὐκ ἀεὶ διθυραμβοῦσιν, ἀλλ' ὅταν σπένδωσιν, τὸν Διόνυσον ἐν οἴνῳ καὶ μέθῃ, τὸν δ' Ἀπόλλωνα μεθ' ἡσυχίας καὶ τάξεως μέλποντες.* —

Sed nunc magna exsistit difficultas, cuinam deo libata sit prima haec convivii libatio. Hug, qui de hac re verba fecit,[7]) coena finita priusquam mensae ablatae sint, libationem factam esse censet ei numini, quod a Graecis vocatur *Ἀγαθὸς δαίμων*, tum primam convivii libationem Jovi servatori oblatam esse. Quam rem omnibus temporibus hoc modo exhibitam esse, probare non potest hic v. d. Nam de hac libatione *Ἀγαθοῦ δαίμονος* non eadem referunt testes. — Theophrastus et Philochorus apud

---

[1]) Eleg. I. ap. Bergk. poet. lyr. gr.[4] II. p. 110.

[2]) Cf. Aristophan. Vesp. vs. 1217. Schol. Hom. Il. I. 449.

[3]) Cf. Hesych. s. v. *μετανίπτρον· ἢ μετανιπτρίς· ἡ μετὰ τὸ δεῖπνον διδομένη κύλιξ· οἱ δὲ τὴν ὑστάτην πόσιν.* Hoc ultimum ipsis scriptorum testimoniis refutatur.

[4]) moral. p. 713 A = quaest. conviv. VII. 4

[5]) Cf. moral. 150 D = Sept. sap. conv 5.

[6]) Cf. Xenoph. Cyrop. IV. 1. 6. Conviv. II. 1. Platon. conviv. p. 176. A.

[7]) ad Platonis convivium p. 176 A.

Athen. XV. 693 D, post coenam (μετὰ τὰ σιτία), sed priusquam mensae sint ablatae, illi numini merum esse libatum tradunt: ἀκράτου μὲν ὅσον γεῦμα καὶ δεῖγμα τῆς δυνάμεως τοῦ Ἀγαθοῦ θεοῦ, τὸν δὲ λοιπὸν ἤδη κεκραμένον. Tum pergit Athenaeus: ὅτι δὲ δοθείσης τῆς τοῦ Ἀγαθοῦ δαίμονος κράσεως ἔθος ἦν βαστάζεσθαι τὰς τραπέζας. Quibus testibus haec quaestio composita videtur, ut dubitari nequeat.[1]) Tamen obstant alii, qui non minus sunt locupletes illis. Ut Pollux (VI. 100) haec dicit: Ἀγαθοῦ δὲ δαίμονος ὁ μετὰ τὰς τραπέζας ἄκρατος καὶ Ἑρμῆς ἡ τελευταία πόσις. Antiphanis comici Lampad. fr. 1. Τράπεζα φυστημινεὶς, ἀλλὰ μὴν δαίμονος Ἀγαθοῦ μετάνιπτρον, ἐντραγεῖν, σπονδή, κρότος, ubi secundarum mensarum fit mentio. Quibus verbis Athenaeus haec addit: Μετάνιπτρον· ἡ μετὰ τὸ δεῖπνον, ἐπὴν ἀπονίψωνται, διδομένη κύλιξ. Distincte dicit Eusthatius:[2]) ἦν τι ποτήριον, ὡς ἱστορεῖ Αἴλιος Διονύσιος, Ἀγαθοῦ δαίμονος λεγόμενον, τὸ μετὰ ἄρσιν τραπεζῶν προσφερόμενον.[3])

Quae cum ita sint neque habeam, cur dubitem de testium fide, concludendum esse censeo, mutatam esse aliquo tempore consuetudinem convivarum. Mihi quidem aptissimum videtur, libationem Ἀγαθοῦ δαίμονος effusam esse ineunte convivio. Nam Bacchum — quem sub hoc nomine audiri pluribus locis constat[4]) — optime non coenae sed convivio praeesse nemo negabit. Sed hoc statuendum est, libationem Ἀγαθοῦ δαίμονος semper factam esse post coenam (μετὰ τὰ σιτία, μετὰ τὴν πλήρωσιν, μετὰ τὸ δεῖπνον.) Quod numen non solum vinearum genius a Graecis

---

[1]) Eadem referunt Philonides (ap. Athen. XV. p. 675 B) Nicostratus, (Kock. II. p. 225. fr. 20.), alii.

[2]) ad Hom. Od. 1471, 32.

[3]) Plane idem proferunt Schol. Aristoph. Equit. vs. 85. et Theopomp (Kock. I. p. 744. n. 40.)

[4]) Cf. Philonidem ap. Athen. XV. p. 675 B, quem Hug iniuria refutat causis non additis et Schol. Aristoph. Equit. vs. 85. Cf. Plut. sympos. quaest. VIII. 10. 3.

habebatur, sed etiam, qui agrorum ubertatem colebat atque omnino bonam fortunam praebebat hominibus. Hic Romam translatus Bonus Eventus celebrabatur iisdem praeditus virtutibus, quibus *Ἀγαθὸς δαίμων*.[1])—Graecorum consuetudines hac in prima libatione profecto varias fuisse, ei scriptorum loci demonstrant, qui exstant de libatione deae *Ὑγίεια*. Nam ut antea invenimus: *Ἀγαθοῦ δαίμονος μετάνιπτρον*, ita Nicostratus[2]) dicit: *Μετανιπτρίδ' αὐτῷ τῆς Ὑγιείας ἔγχεον.* Qua de re multi alii idem referunt.[3]) Sed huic quaestioni affert momenti aliquantum, quod dicit Pollux (VI. 100): *ἡ δὲ μετανιπτρὶς κύλιξ ἐστίν, ἣν μετὰ τὸ ἀπονίψασθαι ἐλάμβανον· τὸ δὲ ὄνομα οὐ τοῦ κατὰ τὸ ἔκπωμα σχήματος, ἀλλὰ τῆς τάξεως. ἦν δὲ καὶ Ὑγιείας ἱερά, ὥσπερ καὶ Διὸς σωτῆρος ὁ τρίτος κρατὴρ ἱερὸς ἦν. Ἀγαθοῦ δὲ δαίμονος ὁ μετὰ τὰς τραπέζας ἄκρατος . . . .*

His in verbis distinguitur *κύλιξ μετανιπτρίς*, quae est *Ὑγιείας*, a libatione *Ἀγαθοῦ δαίμονος*, quae fit *μετὰ τὰς τραπέζας*. Idem alio loco (VI. 30), ubi de variis compotationis moribus disserit, haec refert: *καὶ πότος μεταδόρπιος καὶ κύλιξ μετανιπτρὶς ἡ ἐπὶ πᾶσιν*, quae verba respondent illis: *μετὰ τὰς τραπέζας* et *κύλιξ μετανιπτρίς* (VI. 100). Fieri posse censeo, ut his locis dictum sit, duas effundi libationes, alteram *μετὰ τὰς τραπέζας* vel *μεταδόρπιος πότος*, quae est *Ἀγαθοῦ δαίμονος* alteram *μετανιπτρὶς Ὑγιείας*. Fortasse ad has duas libationes spectant verba Antiphanis:[4])

τὸ ποτήριόν μοι τὸ μέγα προσφέρει λαβών.
ἐνεχεάμην ἄκρατον οὐχὶ παιδιᾷ
κυάθους θεῶν τε καὶ θεαινῶν μυρίους·
ἔπειτ' ἐπὶ τούτοις πᾶσι τῆς σεμνῆς θεᾶς
καὶ τοῦ γλυκυτάτου βασιλέως διμοιρίαν.

---

[1]) Cf. Preller: Röm. Mythol.[3] II. p. 257. 8.

[2]) Kock II. p. 220. n. 3.

[3]) Cf. Philhet. ap. Kock. II. 230 n. 1. Calliam (Kock. I. 695. n. 6.) Antiphanem (Kock. II. p. 72 n. 149.)

[4]) Didym. fr. 3 (Kock. II. p. 44 n. 81).

Voce *διμοιρίαν* indicari libationem et *σεμνῆς θεᾶς*, id est *Ὑγιείας*, et *γλυκυτάτου βασιλέως*, i. e. *Ἀγαθοῦ δαίμονος*, verisimile puto. — Sed hunc usum, de quo Pollux refert, non omnibus temporibus floruisse, iam supra vidimus.

Transeam ad ea, quae traduntur de triplici libatione, cuius convivii partis saepenumero fit mentio. Bernhardi[1]) recte contendit, ex Iliadis loco (*Α*. 469) probari non posse, iam Homeri temporibus hanc consuetudinem exstitisse. Quam postea fere nunquam omissam esse non est, quod demonstrem. Scholiasta in Platonis Philebum p. 383. haec dicit: *Ἐκιρνῶντο (ἐν τοῖς συμποσίοις) κρατῆρες τρεῖς καὶ τὸν μὲν πρῶτον Διὸς Ὀλυμπίου καὶ θεῶν Ὀλυμπίων ἔλεγον, τὸν δὲ δεύτερον ἡρώων, τὸν δὲ τρίτον σωτῆρος — ἔλεγον δὲ αὐτὸν καὶ τέλειον, ὡς Εὐριπίδης Ἀνδρομέδᾳ καὶ Ἀριστοφάνης Ταγηνισταῖς*. — Eosdem deos Pollux[2]) profert, nisi quod dicit de tertia libatione: *ὁ δὲ τρίτος Διὸς σωτῆρος τελείου*. Cf. scholiastam ad Pindari Isthm. V. vs. 12, qui accuratius de triplici libatione tractans Aeschyli[3]) versus laudat:

λοιβὰς Διὸς μὲν πρῶτον ὡραίου γάμου
Ἥρας τε . . . .
τὴν δευτέραν δὲ κρᾶσιν ἥρωσιν νέμω
. . . .
τρίτον Διὸς σωτῆρος εὐκταίαν λίβα.

Sed hunc tenorem semper eundem fuisse negandum est. Quamquam inveniuntur alii loci, qui *Διὸς σωτῆρος* libationem tertiam proferunt, ut Sophoclis fr. 392 (Nauck [2] p. 224):

Ζεῦ πανσίλυπε καὶ Διὸς σωτηρίου
σπονδὴ τρίτου κρατῆρος. . . . alii[4]),

---

[1]) l. c. p. 5.

[2]) VI. 15.

[3]) Epigon. fr. 54. (ap. Nauck.[2] p. 19).

[4]) Cf. Pollux: VI. 100. Pind. Nem. V. vs. 12.

tamen pluribus locis prima vocatur coena finita. Athenaeus Philonidis verba tradit: *τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κεκραμένῳ πρώτῳ προσδιδομένῳ ποτηρίῳ Δία σωτῆρα ἐπιλέγουσι.* . . . Cf. Diodorum (IV, 3); atque Antiphanis comici versus[1]) non aliter intelligendi sunt. — Sed exstant testimonia, quibus haec controversia componi possit. Nam Athenaeus (II. p. 38. D.) Philochorum laudans haec dicit: *προσεπιλέγειν δὲ τούτῳ* (sc. *Διονύσῳ*) *τὸ τοῦ Διὸς σωτῆρος ὄνομα, διδαχῆς καὶ μνήμης ἕνεκα τῶν πινόντων, ὅτι οὕτω πίνοντες ἀσφαλῶς σωθήσονται.* Etiam magis huc quadrant Diphili[2]) versus:

Ἀρχίλοχε, δέξαι τήνδε τὴν μετανιπτρίδα
μεστὴν Διὸς σωτῆρος, Ἀγαθοῦ δαίμονος.

Qua re primum probari censeo, vocibus *Ἀγαθοῦ δαίμονος* re vera Bacchum ab Athenaeo significatum esse, tum aliquo tempore duas illas libationes *Ἀγαθοῦ δαίμονος* et *Διὸς σωτῆρος* ineunte convivio coniunctas fuisse. Quae cum ita sint hoc eodem tempore triplicis libationis tertiam *Διὸς τελείου* vocatam esse coniciam. Quam triplicem libationem ultimam convivii certis temporibus effusam esse, teste Xenophonte[3]) probatur: *τέλος δὲ τὰς τρίτας σπονδὰς ποιήσαντες καὶ εὐξάμενοι τοῖς θεοῖς τ' ἀγαθά, τὴν σκηνὴν εἰς κοίτην διέλυον.* — Porro Athenaeus,[4]) haec dicit: *ἔσπενδον δὲ ἀπὸ τῶν δείπνων ἀναλύοντες καὶ τὰς σπονδὰς ἐποιοῦντο Ἑρμῇ καὶ οὐχ, ὡς ὕστερον, Διὶ τελείῳ.* Non dubitari posse puto, posterioribus temporibus hanc triplicem libationem exeunte convivio in usu fuisse, ut *σπονδὴ Διὸς τελείου* ultima fuerit convivii. Antea ultimam libationem Mercurio oblatam cum linguis combustis coniunctam fuisse usque ad hoc tempus omnes vv. dd. opinati sunt. At Stengel,

1) Kock. II. p. 82. n. 174.
2) Kock. II. p. 564. n. 69.
3) Cyrop. II. 3. 1.
4) I. p. 16 B.

qui v. d. iam multum attulit ad Graecorum religionem cognoscendam, omnibus testimoniis accurate examinatis, ultimam convivii libationem, quae fiebat in victimarum linguas in ara combustas, Mercurio oblatam non esse, dilucide probavit.[1]) Nam pro certo habendum est, hanc libationem iis diis effusam esse, quibus victimae eodem die immolatae erant, ut: Hom. Od. γ. vs. 341 sqq. Neptuno, qui vs. 6. appellatur; tum ap. Apollon. Rhod. Argon. I. 517. linguae et libatio Iovi offeruntur. Equidem Platonis locum[2]) addam, qui eodem modo huc spectare videtur, quamquam de linguis dictum non est: *μετὰ δὲ ταῦτα σπείσαντες τόν τε ἄρχοντα καὶ τοὺς ἄλλους, οἷς ἂν τυγχάνῃ θεοῖς ἡ τότε νύξ τε καὶ ἡμέρα καθιερωμένη κατὰ ταῦτα οὕτως οἴκαδε πορεύεσθαι.* Tamen consuetudinem fuisse certis temporibus, ut Mercurio ultima convivii sola effunderetur, mihi certe constare videtur. Nam praeter Athenaei locum (I. p. 16 B), quem supra adscripsi, idem referunt Pollux (VI. 100), qui spectat ad Homeri Od. η. vs. 137. et Plutarchus (conviv. VII. 9.) Quam Mercurii libationem posteriores ita explicabant, ut dicerent, eum convivio exeunte cultum esse, qui somnum regens somnia mitteret. — Cf. Philostrati Heroic. X, 8. p. 311.[3]) Sed Nitzsch, qui nonnulla adnotat[4]) ad Odyss. η. vs. 137, num iam Homeri temporibus Mercurius sit intellectus, qui mitteret somnum in dubium vocat. Qua re refutata hoc modo pergit v. d.: *vielleicht war es eben nun die Idee des heilvollen, Schaden abwendenden Gottes, der allem Beginnen einen fröhlichen Ausgang verlieh, welche das Trankopfer für ihn am Schluss eines Tages oder vor der finsteren Nacht bedingte. So wurde nicht der Schlaf, sondern Haus, Habe, Leben und alles Glück unter seine*

---

[1]) Jahns Jahrb. f. Philologie. 1879. p. 687. sqq.

[2]) legg. VII. p. 806 E.

[3]) Cf. Apollon. Rhod. Argon. IV. vs. 1782 cum Schol.

[4]) „Anmerkungen zu Homers Odyssee". II. p. 152 sqq.

Oblnut gestellt. Quae omnia ille v. d. ex Athenaei loco concludere videtur, qui dicit: *σπονδὰς ἐποιοῦντο Ἑρμῇ καὶ οὐχ ὡς ὕστερον Διὶ τελείῳ.* Sed his in verbis meo quidem iudicio eodem modo oppositi illi dei cogitari possunt, ac comparati. Itaque cum Mercurio, quantum scio, talis potestas, qua praeditum eum Nitzsch opinatur, alio loco non attribuatur, equidem, quoad certiora inveniantur, nitar Mercurio somnum praebente.[1]) — Huc illa quoque spectat quaestio, quae fit de vino mixto, quod in convivio Mercurio soli libatum esse Schol. Arist. Plut. vs. 1132. profert. Sed Stengel[2]) omnibus testimoniis examinatis vinum effusum esse mixtum omnibus deis iure statuit; merum oblatum non esse, nisi in iure iurando atque in libatione *Ἀγαθοῦ δαίμονος.* — Nam scholiasta, quo solo nititur opinio illa falsa, non recte intellexit poetae verba: *οἴμοι δὲ κύλικος ἴσον ἴσῳ κεκραμένης*, ubi dictum est, queri Mercurium, se non recepisse vini libationes — quibus eodem modo carebant dei omnes — atque cum gratissima sibi sit libatio *ἴσον ἴσῳ κεκραμένη*, quae ultima effundebatur[3]), hanc ipsam vocat lugens Mercurius.

Quid dicam de libationibus Vestae oblatis? Omnia, quae pertinent ad hanc quaestionem, iam attulit Preuner (Hestia-Vesta p. 1 sqq. et idem apud Roscherum: Mythol. Lexicon p. 2615 sqq.). Tamen hoc loco breviter componam, quae omnibus rebus consideratis, statuenda sunt. Auctor hymni Homerici in Vestam[4]) huic deae libatum esse in epulis

---

[1]) Cf. Krüger: Jahns Jahrb. f. Philol. 1863. p. 293 sqq. et E. Curtius: Arch. Ztg. 1875 p. 4 sqq.

[2]) Hermes XVII. p. 329 sqq.

[3]) Cf. Stengel: Griechische Sakralaltert. p. 72 sqq.

[4]) XXIX. vs. 1. sqq.:

Ἱστίη, ἣ πάντων ἐν δώμασιν ὑψηλοῖσιν
ἀθανάτων τε θεῶν, χαμαὶ ἐρχομένων τ᾽ ἀνθρώπων
ἕδρην ἀΐδιον ἔλαχες πρεσβηΐδα τιμήν . . . . .
καλὸν ἔχουσα γέρας καὶ τιμήν· οὐ γὰρ ἄτερ σοῦ
εἰλαπίναι θνητοῖσιν, ἵν᾽ οὐ πρώτῃ πυμάτῃ τε
Ἱστίῃ ἀρχόμενος σπένδει μελιηδέα οἶνον . . .

primae atque ultimae refert. Sed cum alius locus non inveniatur, qui Vestae ultimam libationem effusam esse confirmat, — Cornuti verba[1]) non spectant nisi ad sacrificium — Preuner coniectura nisus haec verba ex interpolatione prodiisse putat,[2]) quae ut explicaretur vox *τιμήν* in margine addita posteaque inserta essent. Mea quidem sententia verba *πρώτῃ τε πυμάτῃ τε* hoc modo intelligenda non sunt, sed potius primum locum tenere Vestam in convivio indicant, ut his versibus hoc fere exprimatur: Vestae, quae in convivio prima est et ultima, i. e. quae principatum tenet, primam libationem effundit (*ἀρχόμενος σπένδει*).[3]) Qua re hoc modo explicata, hic locus cum illis conferendus est, qui Vestae primam libationem oblatam esse tradunt. Cuius rei testes sunt cum Pindarus,[4]) qui dicit de Vesta:

πολλὰ μὲν λοιβαῖσιν ἀγαζόμενοι πρώταν θεῶν,
πολλὰ δὲ κνίσᾳ· λύρα δέ σφι βρέμεται καὶ ἀοιδά.

tum Sophocles[5]):

Ὦ πρῷρα λοιβῆς Ἑστία κλύεις τάδε;

Omnibus aliis locis, qui de Vestae principatu inveniuntur, non libationis fit mentio, sed sacrificii vel precum. Igitur inquirentibus, quanam ratione facta sit prima Vestae libatio, proficiscendum est ab antiquissimo illo

---

[1]) p. 160 sq. (Osann.)

[2]) „Hestia-Vesta" p. 8.

[3]) Similis invenitur locus, quem Hesiodo attribuunt Schol. Vict. ad Hom. Il. Σ. 470 et Eusthatius ad Il. p. 1163, 61.

Οὐρανίη δ' ἄρ' ἔτικτε Λίνον πολυήρατον υἱόν,
ὃν δὴ ὅσοι βροτοί εἰσιν ἀοιδοὶ καὶ κιθαρισταὶ
πάντες μὲν θρηνοῦσιν ἐν εἰλαπίναις τε χοροῖς τε
ἀρχόμενοι δὲ Λίνον καὶ λήγοντες καλέουσι.

Quae ultima verba nihil aliud significant, nisi cantum illum saepissime cecinisse Graecos.

[4]) Nem. XI. vs. 5 sqq.

[5]) ap. Nauck.[2] fr. 658. p. 287.

cultu, facto foci igni atque ipsi foco, qui postea divina specie indutus, Graecis *Ἑστία*, Romanis *Vesta* celebrabatur. Quin etiam Indis cultum ignis prae ceteris floruisse constat, ut hac Vestae libatione in summam antiquitatem ducamur. Quas res optime explicavit Fustel de Coulanges v. d. (La cité antique p. 25): *Assurément les Grecs n'ont pas emprunté cette rēligion aux Hindous, ni les Hindous aux Grecs. Mais les Grecs, les Italiens, les Hindous appartenaient à une même race; leurs ancêtres, à une époque fort reculée, avaient vécu ensemble dans l'Asie centrale. C'est là qu'ils avaient conçu d'abord ces croyances et établi ces rites.*

Quo ex Vestae cultu, quem antiquissimis temporibus nobilissimum familia habebat, haec quoque prima libatio facile interpretanda est. Nam deae ut ante coenam primae sacrificare solebant Graeci, ita in convivio primam effundebant libationem, quae quasi praeerat coenae ac convivio. Qua de re haec profert Fustel de Coulanges: *Le repas était l'acte rēligieux par excellence. Le dieu* (sc. le feu) *y présidait. C'était lui qui avait cuit le pain et préparé les aliments; aussi lui devait-on une prière au commencement et à la fin du repas. Avant de manger, on déposait sur l'autel les prémices de la nourriture; avant de boire, on répandait la libation de vin. C'était la part du dieu;* et alio loco (26)*: Dans tous les sacrifices, même dans ceux qu'on faisait en l'honneur de Zeus ou d'Athéné, c'était toujours au foyer qu'on addressait la première invocation.* — At ultra modum idem v. d. vagatur, cum, *Toute prière,* inquit, *à un dieu, quel qu'il fût, devait commencer et finir par une prière au foyer.* Nam in precando saepissime libasse Graecos, ubi quisque versabatur, supra demonstratum est. —

Omnibus his rebus tractatis dilucide apparet, quantopere variaverint in convivio Graecorum consuetudines. — Nobis inquirentibus, quid fuerit, quod convivae illis deis, de quibus supra disputavi, libationes effunderent, hoc occurrit: primum eae libationes, quae offeruntur Jovi

Olympio et diis superis, eo consilio fiunt, ut propitii hi reddantur; eadem de causa heroibus libatur, quos neglectos noxam allaturos esse, Graeci sibi persuaserunt; Tum Ἀγαθὸς δαίμων libatione celebratur, quod is quasi praeest compotationi, qui vitem creavit hominibus. Jovi servatori et Saluti libamina effunduntur, ut eas vini vires arceant, quae detrimento sunt hominibus, a quibus quantopere abhorruerint Graeci, optime Eubuli[1]) versus demonstrant. - De Mercurio iam supra disserui et de Vesta plura facere verba opus non videtur.

Praeter eas libationes in convivio creberrimas, de quibus adhuc disputavi, multae exstant aliae, neque negandum est, omnibus deis et heroibus libari posse exceptis diis inferis, qui laetitiae expertes habebantur. Iam vero Musis vini libamina effusa esse, quamquam in sacrificiis libationibus sobriis fruebantur, supra protuli. Ut Plutarchus[2]) haec refert: ὑπολαβὼν δὲ ὁ Σόλων· Οὐκοῦν, ἔφη, καὶ τῷ σοφωτάτῳ πιστευτέον Ὁμήρῳ· Νὺξ ἤδη τελέθει· ἀγαθὸν καὶ νυκτὶ πιθέσθαι. σπείσαντες οὖν Μούσαις καὶ Ποσειδῶνι καὶ Ἀμφιτρίτῃ διαλύωμεν, εἰ δοκεῖ, τὸ συμπόσιον. et Pindarus[3]) secundum craterem Musis esse mixtum refert; id quod fieri potuit, quia Musae in convivio non deae sollemnes sed quae praeerant arti musicae habebantur.

Quibus rebus expositis, omnia me disseruisse censeo, quae pertinent ad eas libationes interpretandas, quas effundebant homines deis. Nunc vero dicendum est de iis, quas a deis ipsis effusas esse videmus, id quod cum iis, quae adhuc protuli, arte cohaerere existimo.

---

[1]) Semel. fr. 1. ap. Kock. II. p. 196 n. 94.
[2]) moral. p. 164 D. = sept. sap. conv. 21.
[3]) Isthm. VI. (V). vs. 2.

B. De iis libationibus, quas dei ipsi effundunt.

Non est, cur miremur, quod Graeci deos quoque libantes fingebant. Nam hac in re, ut in multis aliis, deos ita se gerere, ut ipsos homines opinabantur. Quo fit, ut ex litteris et monumentis, quae ad hanc rem plurima suppeditant, eaedem causae intelligantur in deorum libationibus, atque hominum. E. g. cf. Plutarchi[1]) verba, qui in risum vocare videtur Graecorum religionem: *Παγγέλοιον γάρ ἐστιν, ὦ ἑταῖρε, τὸν Ἀπόλλω κτείνοντα θηρίον φεύγειν ἐπὶ πέρατα τῆς Ἑλλάδος ἁγνισμοῦ δεόμενον, εἶτ' ἐκεῖ χοάς τινας χεῖσθαι καὶ δρᾶν, ἃ δρῶσιν ἄνθρωποι, μηνίματα δαιμόνων ἀφοσιούμενοι.* — Aristophanes[2]) Trygaeum facit alloquentem Mercurium.

πρῶτον δέ σοι
δῶρον δίδωμι τήνδ', ἵνα σπένδειν ἔχῃς.

et Scholiasta ad vs. 433 animadvertit: *σπονδὴ σπονδή] τοῦτο ἀξιοῦσι τὸν Ἑρμῆν λέγειν σπένδοντα.*

Quam ad rem illustrandam permulta accedunt monumenta atque ea pleraque vascula, quae quid senserint Graeci de deis libantibus demonstrant. — Ac primum quidem loquar de eo genere vasculorum, quod referendum est ad ea, quae praebent adolescentem domum patris relinquentem. Inveniuntur enim multa vascula, in quibus Triptolemus iter ingressurus est, ut homines de frumento colendo doceat. Fere omnia haec vascula eas figuras, quae primum tenent locum, simillimas continent.[3]) Triptolemus in curru sedens in dextram versus sinistra manu spicas[4]) habet, quibus saepius sceptrum adiunctum

---

[1]) moral. p. 418 B. = de defect. orac. 15.

[2]) Pac. vs. 424. sqq.

[3]) Commode inspicias, quae vascula composuit Overbeck: Atlas der griech. Kunstmythologie. (Lief. IV. Taf. XV. XVI.)

[4]) ibid. XV. no. 17. 22a. XVI. 1a.

est.[1]) Sed fit quoque, ut spicae vel omnino desint,[2]) vel a Cerere teneantur.[3]) Dextra manu pateram porrigit adolescens, ut vinum recipiat, qua libationem effundat, priusquam ad ipsum iter accedat. In illis vasculis, de quibus supra verba feci, mulieres cognatae adolescenti hac in caerimonia ministrant; hoc loco eae inveniuntur deae, quae Triptolemo faventes mandarunt iter. Plerumque enim illum exadversus Ceres[4]) apparet, quae aut vinum ex hirnea in pateram profundit,[5]) aut hirneam manu demissa tenet.[6]) Ceres saepenumero mitra, quam Graeci vocant σφενδόνη, induta,[7]) sed plerumque sceptro[8]) vel diademate[9]) dea significata est. Post Triptolemi currum Proserpina invenitur, quae simili modo diadema[10]) vel sceptrum[11]) habere solet. Fit quoque, ut faces portent deae,[12]) saepe deis inferis attributas. Quamquam hoc ordine plurimis locis componuntur Proserpina, Triptolemus, Ceres, tamen mutantur quoque deae ut Proserpina adolescenti ministret libationem.[13]) Alii quoque accedunt, quos vel cum deabus,[14]) vel cum Eleusine[15]) coniungendos esse constat. Sed non meum est, hoc loco de his rebus latius disserere. Sed premendum esse censeo, inveniri vascula, in quibus non solum Triptolemus, sed etiam ipsa Ceres[16]) vel plures mulieres[17]) pateras tenent neque dubitari potest, quin dea libet, ut a diis petat felicem exitum Triptolemi incepto eodem modo, quo illae mulieres, ut supra vidimus, pateras tenentes adsunt adolescenti exeunti. Quod

---

[1]) XV. 8. 9. 11. 14. 18. 19. 23. 30. [2]) XV. 10. 15. 20. 31. [3]) ib. 7. 12. 16. [4]) 9. 31, ubi deae nomen adscriptum est. [5]) XV. 7. 11. 16. 17. 20. 22a. 23. 30. 31. [6]) XV. 9. 10. 18. [7]) XV. 10. 14. 16. 17. [8]) XV. 14. 15. 19. 31. [9]) XV. 7. 24. 31. [10]) XV. 18. 22a. 31. [11]) XV. 19. 24. 31. [12]) XV. 11. 14. 15. 18. 20. 22a. 23. [13]) XV. 22a. [14]) E. g: Hecate. XV. 23. 31. [15]) Keleus et Hippothoon. XV. 30.

[16]) XV. 14.

[17]) XV. 18.

ut interpreter, statuendum esse censeo, Graecos, quamquam deos non omnes eadem dignitate praeditos opinabantur, Iove in omnes imperium tenente, tamen non tam hoc sensisse, quam ipsas hominum consuetudines hac quoque in re deis imposuisse. — Mirum videtur, quod Triptolemus libationem offerens non invenitur, nisi in vasculis rubris figuris depictis, id quod et alio loco observavimus et postea considerabimus. Nescio an initio quinti a. Chr. n. saeculi libatio plus valuerit in Graecorum animis, quam eis temporibus, quibus vascula nigris figuris depicta sunt.

Eos, qui aliis libationem ministrant, saepe aliquo modo cum his esse coniunctos vel affinitate, vel amicitia, vel animo propitio, non solum ex iis rebus, quas de Cerere protuli, sed etiam hinc elucet, quod Minerva quoque Herculi ministrans invenitur. Nam Welcker de lecytho nigris figuris depicto haec refert:[1]) *Bei Herrn Granet, französischem Consul in Girgenti, sah ich an einem Lekythos folgende Vorstellung in schwarzen Figuren: Athene giesst dem sitzenden Herakles (mit Löwenhaut, Keule, Bogen und Köcher) ein und Nike, ungeflügelt, setzt ihm den Kranz auf. Dazu Jolaos mit der Lanze und Hermes gegen ihn gewandt.* Idem repraesentatur in vasculo quodam, quod depinxit Hiero:[2]) Hercules, qui leonis pelle indutus a sinistra parte sedet, dextra cantharum porrigit, in quem Minerva ex hirnea vinum infundit. Quamquam pro certo habendum non est, libationem fieri, hoc verisimile fit ipsa Minerva ministrante, quae galeam in lapide posuit.[3]) Iam supra vidimus, Cererem non solum ministrare libationem, sed ipsam libare, ut a diis salutem petat Triptolemo. Quod idem hoc quoque loco invenitur. Nam in amphora, quam de-

---

[1]) Alte Denkmäler III. p. 266.

[2]) Wiener Vorlegeblätter: Serie A. tb. I.

[3]) Cf. Tischbein: Vases étrusques d'Hamilton II. tb. 43.

lineavit Roulez,[1]) ipsa Minerva ex hirnea libationem profert in aram;[2]) quam exadversus stat Hercules, omnibus armis indutus, ut expeditionem aliquam suscipiat. Huc spectare aliud vasculum, quod exstat apud Gerhardum,[3]) Stephani censet,[4]) id quod non recte explicatum esse postea probabo. Neque enim Minervam ipsam, sed eius statuam hoc loco significari pro certo habeo et iam verba faciam de gestu, quo tenet pateram dei vel deae simulacrum.

Age vero disputemus de iis vasculis, quae deos solos, i. e. hominibus non additis, libantes praebent. Inter quae primum apparent ea, in quibus Apollo citharoedus et Diana inveniuntur, ad quos saepenumero Latona mater accedit.[5]) Haec vascula plurima reperta maxima ex parte idem significare mihi persuasi. Stephanium recte iudicasse censeo, his in monumentis libationem arte coniunctam esse cum citharizando. Nam fere semper in eo est, ut Apollo, qui sinistra manu citharam tenet, citharizare incipiat. Multis in vasculis ara in medio posita est, supra quam ille dextra porrigit pateram.[6]) In altera arae parte Diana invenitur, quae arcu pharetraque attributis[7]) hirneam tollit, qua ministrat[8]) fratri. At non desunt vascula, in quibus vino iam infuso demissam tenet dea hirneam;[9]) sed fit quoque, ut ipsa e patera libationem effundat.[10]) Si Latona accedit, saepe post Apollinem versatur,

---

[1]) Choix de vases peints tb. VII. no. 1a.

[2]) Ex hirnea quoque libationem fieri iam supra vidimus. Cf. Gerhard: Auserles. Vasenb. 155. Elite cér. I. 87.

[3]) Auserlesene Vasenbilder tb. 242.

[4]) Compte — rendu 1873. p. 120.

[5]) De hoc vasculorum genere copiose tractavit Stephani l. c. p. 206—15.

[6]) Cf. Elite céramogr. II. tb. 32. 36a.

[7]) ibid. 10. 36.

[8]) ib. 32. 36. [9]) ib. 24. [10]) ib. 13. 14.

vel otiose spectans,[1]) vel ipsa libans.[2]) Quam figuram Latonam interpretandam esse, hinc elucet, quod multis locis mitra vel sceptro significata est.[3]) — Sed statuendum esse puto, has tres figuras non semper eodem modo depictas esse; ut exstant vascula, ubi in sede collocatus est Apollo,[4]) vel aliae additae sunt figurae etc.[5]) Inquirentibus nobis, quid sit, cur Apollo hic libationem effundat, nihil aliud occurrit, nisi eum libando a diis petere, ut bene perficiat cantum. — Nam hanc quoque rem humanae consuetudini accommodasse Graecos, vasculo probatur, quod Roulez delineavit[6]): In podio duo inveniuntur adolescentes, quorum alter tibiis canit, alter quietus remanet. Ante quos senex constitit palliatus, baculo nixus. Ab altera parte Victoria advolat, quae manu pateram affert. Dubitari non posse existimo, quin pictum sit certamen musicum.[7]) Victoria eadem ratione addita est, qua eam iam supra vidimus in caerimoniis religiosis ministrantem, atque ita, ut victoriae augurium significet. Senex certaminis iudex videtur.[8]) Tamen Stephanio[9]) concedendum est, in iis vasculis, quae Apollinem citharoedum praebent, certamen significatum non esse. — Nobis fabulas petentibus statim in mentem venit Apollo et qui pestem, mortem mittit hominibus et qui arti studet musicae.[10]) Hymn. Homeric. in Apollin. de his rebus haec narrat vs. 5:

Λήτω δ' οἴη μίμνε παραὶ Διὶ τερπικεραύνῳ
καί οἱ (sc. *Ἀπόλλωνι*) *ἀπ' ἰφθιμῶν ὤμων χείρεσσιν ἑλοῦσα*
τόξον, ἀνεκρέμασε πρὸς κίονα πατρὸς ἑοῖο
πασσάλου ἐκ χρυσέου· τὸν δ' ἐς θρόνον εἷσεν ἄγουσα.

---

[1]) ib. 24. [2]) ib. 26. 34. 36. [3]) ib. 26. 36.
[4]) ib. 36. Cf. Mon. dell. Inst. IX. tb. 17. [5]) Elite 26. 34. etc.
[6]) Choix de Vases peints tb. 18. [7]) Cf. Stephani l. c. p. 214.
[8]) Cf. Inghirami l. c. III. tb. 290. [9]) l. c. 207 sqq.
[10]) Cf. Robert-Preller: Griechische Mythologie II[2]. p. 279.

et vs. 182:

Εἶσι δὲ φορμίζων Λητοῦς ἐρικύδεος υἱὸς
φόρμιγγι γλαφυρῇ πρὸς Πυθὼ πετρήεσσαν
ἄμβροτα εἵματ᾽ ἔχων, τεθυωμένα· τοῖο δὲ φόρμιγξ
χρυσέου ὑπὸ πλήκτρου καναχὴν ἔχει ἱμερόεσσαν.

Quae poetae verba optime illustrantur vasculo, quod vidi in museo Bononiensi: In media parte Apollo sedet in sella, quae graece vocatur *κλισμός*, longa veste et pallio indutus; sinistra citharam tenens dextra porrigit pateram. Ut iam antea vidimus, Diana appropinquat — superior corporis pars fracta est, sed cerva,[1]) quae ei astat, Dianam hoc loco inveniri probatur — ut vinum infundat fratri; pharetra in pariete pendet. Post Apollinem matrona, quae Latona habenda est, sagittam tenet quasi ludendo, quam, ut equidem mihi persuasi, e filii pharetra sumpsit; qua re demonstrari censeo, nunc proeliis atque asperis sublatis hilaritatem artis musicae vigere. Quid? Omnibus his vasculis consideratis nonne de Pythiis cogitandum est? Graecos, opinor, haec vascula contemplantes in animo habuisse, Apollinem non tam ludos Pythios condere, quam ipsum primum quemque ludum incohare citharizando. Quae coniectura aliquo modo firmatur vasculo, quod delineatum est apud de Witte[2]): Nam hoc loco non in aram profundit libationem Apollo, sed in omphalum, qui vittis laneis ornatus in medio exstat. Praeter sororem et matrem Mercurius invenitur, quem deorum nuntium diei festo adesse optime convenit. Sed pro certo habeo, sollemnitatem in omnibus his vasculis pictam esse, quod Diana soror libationem ministrat, qua de re postea verba faciam. — Similia esse intelligenda in anaglyphis quibusdam, ubi Apollo citharoedus una cum matre ac sorore versatur, contendere non dubito. Sollem-

---

[1]) Cf. Elite céram. II. 24. 36. 47.
[2]) Elite céram. II. 26.

niter incedentes Apollo citharam tenens, Diana, quae facem gestat, Latona sceptro insignis arae appropinquant, post quam victoria alata constitit, ut citharoedo infundat vinum ex hirnea sublata (ἐκ χαλκέας ἄρδην πρόχου Soph. Ant. 428). Muro seiunctum templum columnis Corinthiis suffultum apparet, quod Apollinis habendum esse recte Jahn[1]) contendit. Tripus,[2]) dei statua,[3]) platanus[4]) locum indicant sacrum neque coniecturam illius v. d. audaciorem puto, qui Delphos esse cogitandos vult.[5]) Ut vascula, de quibus verba feci, ita haec quoque anaglypha anathemata fuisse verisimillimum est. Quibus anaglyphis quamquam artem antiquiorem multo demum post imitantur, tamen eandem infuisse cogitationem ac vasculis quinti a. Chr. n. saeculi apparere censeo; nisi quod Victoria addita est, quae pro Diana sorore libationem ministrat. Qua de re supra disserui neque opus esse opinor, accuratius explicare, deam hoc loco esse repraesentatam aut quae victoria reportata pateram implet, ut gratias agat victor aut quae victoriam futuram indicat, id quod saepe invenimus. Illud quidem hic praeferendum est, si modo anathemata fuisse haec anaglypha recte censet Jahn, praesertim cum huc trahi queat illud vasculum, quod delineavit Panofka (Musée Blacas tb. I.), ubi victoria libat, ut gratias agat victoria ab Acamantide tribu parta. — At hanc quaestionem usque ad hunc diem raro ad liquidum perduci posse supra patefacere conatus sum.

Inter illa vascula, in quibus consuetudinem humanam in deos translatam invenimus, ea quoque numeranda sunt, ubi dei Olympii in convivio versantur. Huc praeter omnia id spectat vasculum, quod rubris figuris a Sosia

---

[1]) Griech. Bilderchronik. p. 45 sqq.

[2]) Cf. Welcker: Alte Denkm. II. tb. 2.

[3]) Cf. Overbeck: Griech. Kunstmyth. (Lief. V. tb. XXI. n. 10. 12.)

[4]) ibid. n. 10.

[5]) Quae opinio anaglypho eiusdem formae confirmatur, in quo pro ara omphalus invenitur. Cf. Overbeck. l. c. n. 11. Cf. Jahn. l. c. p. 47.

depictum est.[1] Nam deos ad convivium convenisse, apparere videtur, quamquam dei non iacent, sed pro dignitate divina in soliis collocati sunt: A sinistra parte Juno sedet iuxta Iovem, quae utraque figura, quamquam superior pars fere tota fracta est, tamen certo hoc modo interpretanda est. Quos exadversus Neptunus et Amphitrite inveniuntur; tum exstant in sinistram versi Mars et Venus, deinde Bacchus una cum muliere, quae Ceres vel Ariadna habenda est. — Altera vasculi parte primum tres apparent mulieres, quarum alia aliam deinceps sequitur, quibus adscripta est vox *HOPAI.* Tum in sellis collocatae inveniuntur Vesta et alia quaedam dea. Denique adsunt Mercurius, aliquis, qui tenet lyram, Hercules, Minerva. — Ne longius digrediar in numinibus interpretandis, quae non certo intelligenda sunt, inspicias, quae verba facit de hac re Robert[2] v. d. Qui summo iure premit, fieri non posse, ut bis inveniatur Amphitrite, altera una cum Neptuno sedens, altera cum Vesta, super quam vocem *AOΦITPITA* inscriptam invenimus. Quod subtiliter vir doctissimus ita explicavit, ut dicat, acclamationem esse hanc inscriptionem, ut Ἄρτεμι et Ζεῦ φίλε. Qua re concludendum esse, eam mulierem, quae iuxta Vestam sedeat, non Amphitriten sed Dianam et illum, qui lyram teneat Apollinem significandum esse. Hoc loco ipsa Roberti verba afferre mihi liceat, quoniam optime ad ea referenda sunt, de quibus nunc loqui mihi proposui. Nam Robert (p. 150): *Amphitriten,* inquit, *adpellat* (sc. Diana), *ut ei propinet. Nimirum nec Herculis nec Thetidis nuptias, de quibus olim interpretes cogitarunt, pictor exprimere voluit, sed quodlibet deorum convivium, quo certe ad phialam ornandam nihil aptius cogitari potest. Deos autem potantes sibique vicissim propinantes iam inducit Homerus, cuius verba disputationem nostram concludere iuvat:*

[1]) Antike Denkmäler I. tb. 9. Cf. Mon. d. J. X. 23. 24, alia.

[2]) De Gratiis atticis in Comment. Mommsen. p. 149. 50.

Οἱ δὲ θεοὶ παρ' Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο
χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ, μετὰ δέ σφισι πότνια Ἥβη
νέκταρ ἐῳνοχόει· τοὶ δὲ χρυσέοις δεπάεσσιν
δειδέχατ' ἀλλήλους Τρώων πόλιν εἰσορόωντες.

Hos igitur Homeri versus accuratius quadrare ad Sosiae vasculum illustrandum contendo ratus, illam deam, quae ministrat Jovi, non Victoriam, ut Robert voluit, sed Iuventam vocandam esse, id quod littera, quae deae adscripta servata est, probari potest.[1]) Eundem autem usum, quem Robert summo iure hoc in vasculo agnovit, in hominum conviviis floruisse, ante omnia fragmenta docent comicorum. Nam hanc consuetudinem, quae apud Homerum verbis δεικνύναι, δειδίσκεσθαι significata est,[2]) Athenaeus[3]) hoc modo explicat: ἦν δέ τις αὐτοῖς καὶ διὰ τῆς προπόσεως ἀσπασμός· οἱ γοῦν θεοὶ χρυσέοις δεπάεσσιν δειδέχατ' ἀλλήλους, ἤτοι ἐδεξιοῦντο, προπίνοντες ἑαυτοῖς ταῖς δεξιαῖς. Voces ipsae δειδίσκεσθαι et δεικνύναι actionem dilucide illustrant, cum appareat, eum illi, cui propinat, monstrare pateram porrectam nomine appellato. Quam utramque rem illustrat hoc vasculum, cui similia addenda sunt.[4]) — De usu propinandi breviter disserere mihi liceat. E. g. Alexidis versus propinationem in convivio viguisse demonstrare videntur[5]):

Τοὔψον λαβοῦσαι τοῦτο τἀπεσταλμένον
σκευάζετ' εὐωχεῖσθε, προπόσεις πίνετε,
λέπεσθε, ματτυάζετε.

Cf. Antiphanis fragmentum (Kock. II. p. 45. n. 82). Magni momenti esse videtur, quae verba affert Athenaeus[6]) Anacreontis versibus laudatis[7]):

[1]) Cf. Furtwängler: Beschreibung der Vasensamml. p. 552.
[2]) Il. IX. vs. 671. Od. XVIII. vs. 121.
[3]) I. p. 13 F.
[4]) Cf. Furtwängler. l. c. no. 2166. 2317.
[5]) Kock. II. p. 315. n. 49.
[6]) XI. p. 498 C.
[7]) Bergk.: poet. lyr. graeci III.[4] p. 277. n. 82.

Ἐγὼ δ' ἔχων σκύπφον Ἐρξίωνι
τῷ λευκολόφῳ μεστὸν ἐξέπινον.

— ἀντὶ τοῦ προέπινον. κυρίως γάρ ἐστι τοῦτο προπίνειν τὸ ἑτέρῳ πρὸ ἑαυτοῦ δοῦναι πιεῖν. καὶ ὁ Ὀδυσσεὺς δὲ παρὰ τῷ Ὁμήρῳ τῇ — Ἀρήτῃ δ' ἐν χερσὶ τίθει δέπας ἀμφικύπελλον — καὶ ἐν Ἰλιάδι — Πλησάμενος δ' οἴνοιο δέπας δείδεκτ' Ἀχιλλῆα — πληροῦντες γὰρ προέπινον ἀλλήλοις μετὰ προσαγορεύσεως.

Neque solum haec una acclamatio adhibebatur; sed fiebat, ut is, qui ab alio appellatus ad bibendum provocabatur, alium appellaret, ut deinceps ille eodem modo pergeret. Cf. Alexidis versum:[1])

τούτῳ πρόπιθ', ἵνα κ'αὐτὸς ἄλλῳ,

id quod Plutarchus[2]) quoque firmare videtur, qui haec refert: τοῦ δὲ Περιάνδρου τῷ Χίλωνι προπίοντος εὐμεγέθη κύλικα, τῷ δὲ Βίαντι τοῦ Χίλωνος Ἄρδαλος ἐπ' ἀναστάς . . . .

Qua re considerata in mentem venit, hunc usum inveniri in Sosiae vasculo, quoniam Apollo Dianam appellat (iuxta Vestam sedentem), quae ipsa exclamat: ΑΟΦΙΤΡΙΤΑ.

Sed non solum mos erat, ut nomen appellaretur, sed ut propinaretur ad certam rem optandam, ut amicitiam, id quod cum ex multis aliis, tum ex Alexidis[3]) verbis cognoscimus: τῆς φιλοτησίας ἐγὼ μεστὰς προπίνω γ' ἴσον ἴσῳ κεκραμένας.

Quod ita in usu fuisse constat, ut poculum, e quo hunc libabant potum convivae, φιλοτησία vocaretur.[4]) Alias quoque res propinasse convivas idem Alexis[5]) probat, qui huius quaestionis gravissimus exstitit testis:

---

1) Kock. II. p. 315. n. 53.

2) moral. p. 155. E. = sept. sap. conv. 13.

3) Kock. II. p. 317. n. 58.

4) Cf. Alexidis fr. (Kock. II. p. 402 n. 291.)

φιλοτησίαν σοι τήνδ' ἐγὼ
ἰδίᾳ τε καὶ κοινῇ κύλικα προπίομαι.

5) Kock. II. p. 336. n. 111. (ap. Athen. VI. p. 254 A.).

Παῖ, τὴν μεγάλην δός, ὑποχέας
φιλίας κυάθους μὲν τῶν παρόντων τέτταρας,
τοὺς τρεῖς δ' ἔρωτος προσαποδώσεις ὕστερον·
ἓν Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως νίκης καλῶς,
καὶ τοῦ νεανίσκου κύαθον Δημητρίου.
φέρε τὸν τρίτον . . . .
Φίλας Ἀφροδίτης· χαίρετ' ἄνδρες συμπόται
ὅσων ἀγαθῶν τὴν κύλικα μεστὴν πίομαι.

Aliis convivii moribus omissis, ut *κύκλῳ πίνειν,*[1]) Critiae[2]) versus afferam, qui non nullius momenti videntur, primum, quod ex illis elucet, propinandi consuetudinem non floruisse apud Lacedaemonios, tum, quod quo modo fiat hic usus optime illustratur:

καὶ τόδ' ἔθος Σπάρτῃ μελίτημά τε κείμενόν ἐστι,
πίνειν τὴν αὐτὴν οἰνοφόρον κύλικα
μηδ' ἀποδωρεῖσθαι προπόσεις ὀνομαστὶ λέγοντα
μηδ' ἐπὶ δεξιτέραν χεῖρα κυκλοῦν Θασίου.
ἄγγεα . . . .
καὶ προπόσεις ὀρέγειν ἐπιδέξια, καὶ προκαλεῖσθαι
ἐξονομακλήδην, ᾧ προπιεῖν ἐθέλει.

His rebus expositis restat, ut dicam de iis monumentis, de quibus quamquam cur dei libationem effundant non semper accurate intelligendum est, tamen nonnulla non parvi momenti statuenda sunt. Initium capiam ab iis vasculis, quae, pleraque rubris figuris depicta, Bacchum repraesentant eiusque comites. — Iam Stephani[3]) iure pressit, multis locis dubitari posse, utrum libatio inveniatur necne; nam hoc facile fieri censeo, quod cantharus, quo solo poculo fere semper utitur Bacchus, illi deo ita sit attributus, ut delphinus Neptuno,[4]) alia aliis.

---

[1]) Cf. Athen. p. 503 F. 504 A.
[2]) ap. Athen. X. 432 D.
[3]) l. c. p. 224.
[4]) Cf. Elite céram. III. 7. 8. 19. 25.

Itaque ne id quidem semper cogitandum est, in eo esse, ut deus potet, sed canthare illum deum significari Bacchum. Tamen multa exstant monumenta, ubi Bacchum re vera libationem offerre nemo negabit. Primum de certo quodam vasculorum genere disseram, quae omnia fere eandem formam imitantur. Praeit satyrus, qui nudus tibiis[1]) vel cithara[2]) canit, quem sequitur homo barbatus, longos capillos corona hederae ornatus, qui capite retro verso sinistra tenet thyrsum et dextra e cantharo vinum humi effundit;[3]) denique puella invenitur, veste Dorica induta, altera manu gestans facem, altera hirneam, qua ministret viro barbato.[4]) Pro hac virgine constitit eques quoque ampla veste indutus.[5]) Dubitari non potest, quin his in vasculis depicta sit pompa bacchica et homo barbatus ipse sit Bacchus, qui adest sodalibus. Nam inveniuntur vascula, ubi huic viro titulus adiunctus sit *ΔΙΟΝΥΣΟΣ*.[6]) Mirum habeat quis, quod libatio fit media in pompa; sed tenendum est, hanc bacchicam plane diversam fuisse ab aliorum deorum pompis, quae sollemnes tardaeque versabantur, cum in illa sodales saltantes petulantes iocari solerent. Quas bacchicas pompas ad certum quendam diem festum referre equidem non ausim. —

Ut in deorum convivio ministrantem Iuventam invenimus et mox alia numina hoc modo occupata videbimus, ita Baccho quoque certi ministri adiunguntur, qui hoc munere funguntur. Praeter maenadem, quae in pompis illis exstitit,[7]) inveniuntur satyri ministrantes. Inspicias e. g. amphoram musei Berolinensis rubris figuris depic-

---

[1]) Inghirami l. c. 244. 267.

[2]) Inghirami: Vasi fittili III. 265. Cf. ibid. II. 198.

[3]) Cf. Tischbein: Vases d'Hamilton I. 31.

[4]) Inghir. l. c. III. 244.

[5]) ibid. III. 267.

[6]) Cf. Mon. d. Inst X. 23. 24.

[7]) Cf. Tischbein l. c. II. 44. V. 13. 15. etc. Gerhard A. V. I. 56.

tam,[1]) in qua Bacchus eodem habitu pictus, quem supra descripsi, sinistra thyrso nisus dextra libationem facit e cantharo. Quem exadversus satyrus versatur, qui sinistra arboris truncum vel ramum, dextra hirneam tenet.[2]) Alio loco Amor Baccho ministrat libationem,[3]) sed hoc usitatum non est, et potius ad singularem quandam rem spectare censeo. Bacchum in aram libantem in vasculo videmus, quod Benndorf delineavit.[4]) Hoc quoque loco diem festum una cum maenadibus celebrari patet. Paucos inveni locos, ubi patera utitur Bacchus pro cantharo;[5]) qua re hoc inusitatum fuisse demonstratur.

Restat, ut breviter disputem de paucis vasculis, in quibus Mercurius exstat, qui libationem effundit. Ea monumenta, quae illum praebent, cum victimam ducit ad aram pateramque portat[6]), huc pertinere non puto. Nam talibus rebus ille est occupatus, quales sunt praeconis.[7]) At in eis vasculis, quae nunc quidem in animo versantur, ipse offert libationem deus. Quorum duo sunt, in quibus Mercurius humi effundit vinum,[8]) unum, ubi in aram fit libatio.[9]) Quid sit, cur libet deus, non divino, quoniam parum exstat monumentorum, e quibus accuratiora cognosci possint. Immo explico, deorum quoque nuntium, priusquam iter ingrediatur, libando adire deos, ut sint propitii incepto.

Iam vero ad aliud monumentorum genus transeam, in quibus, quamquam dei pateras manibus tenent, libandi

1) Cf. Furtwängler. l. c. no. 2237.

2) Cf. Tischbein l. c. I. 29. Gerhard: Auserles. Vasenb. I. 57.[3]

3) Tischbein l. c. II. 35.

4) Wiener Vorlegeblätter 1890/91. tb. VII. no. 2a.

5) Tischbein l. c. I. 29. II. 48.

6) Millin.: Peint. de vases I. 51.

7) Cf. Roscher: Mythol. Lexicon p. 2363. 2403.

8) Elite céram. III. 73. Roulez: l. c. XX[2].

9) Elite céram. III. 76.

actio pressa non est. Quae res ut explicetur, primum agam de usu ministrandi. Ut in hominum epulis certi adolescentes vel κήρυκες hoc munere fungebantur, ita in deorum consessu tales vini ministri inveniuntur. Iam supra, in Sosiae vasculo, Iuventam vidimus, quae deis infundit vinum; et Homeri versus hoc confirmant. Plane respondet hominum consuetudini, cum Mercurium vini ministrum fuisse reperimus. Cf. Sapphus fragmentum[1]):

κῆ δ' ἀμβροσίας μὲν κρατὴρ ἐκέκρατο,
Ἑρμᾶς δ' ἔλεν ὄλπιν θεοῖς οἰνοχοῆσαι.

His versibus Bergk et Ahrens aliud Sapphus fragmentum adiungunt, quod exstat apud Athenaeum[2]):

κῆνοι δ' ἄρα πάντες καρχήσι⟨ά τ'⟩ ἦχον
κἄλειβον, ἀράσαντο δὲ πάμπαν ἐσλὰ
τῷ γάμβρῳ.

Praeter illos Iris invenitur, quae, ut ministret, interest in convivio deorum; quae dea, num sit hoc nomine interpretanda, multis locis dubitari potest; neque enim plerumque est diiudicandum, utrum Irim depictam voluerit pictor an Victoriam. Cum enim utrique deae alae et caduceus[3]) attribuantur, de iis modo monumentis certi aliquid statui potest, in quibus aut tituli sunt adscripti aut dea taeniis, aliis signis Victoria significata est. Atque verisimile puto, illam deam alatam, quae in deorum convivio hoc munere fungitur, Irim, quae Minervae adest ministrans, Victoriam habendam esse.[4]) Sed hac in quaestione quidquam pro certo statuere nolim. — Iam vero alii apud alios deos exstant vini ministri; ut Ganymedes, qui Iovi soli in bibendo adest. Cf. phialam, quam depinxerunt Oltus

---

[1]) ap. Bergk: poet. lyr. gr. fragm.[4] III. p. 106. n. 51.

[2]) XI. 475 A.

[3]) Cf. Gerhard: Auserles. Vasenb. II. tb. 150.

[4]) Cf. ea vascula, quae delineavit de Witte: Elite I. 72. 76a.

et Euxitheus.[1]) In medio Iupiter sedet amplis vestibus indutus, sinistra fulmen dextra pateram tenens, in quam Ganymedes nudus ex hirnea vinum infundit. Hoc quoque in vasculo deorum consessus invenitur, sed non convivium, quoniam aliis deis non paterae sed aliae attributae sunt res neque dubium esse potest, quin Ganymedes Iovi soli ministret,[2]) id quod Iliadis quoque versus demonstrant:[3])

. . . . καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης
ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων·
τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν . . .[4])

Tum commemorandus est Amor Veneris minister, qui saepenumero invenitur in vasculis. Quamquam non exstat monumentum, quantum scio, ubi in eo sit, ut Amor infundat vinum Veneri, tamen saepe prope illam exsistit, pateram hirneamque tenens.[5]) Baccho quoque fuisse vini ministros, iam supra demonstravi, cum de maenadibus et satyris disserui, quibus hoc loco addam Oenopionem adolescentem, qui in Execiae pictoris vasculo invenitur, Baccho vinum infundens.[6])

Ex omnibus rebus, quas protuli, satis elucere censeo, deis quoque vini ministros adiunctos esse hominum more. Itaque mirum videtur, quod eae quoque deae, quae nunquam munus suscipere solent, ministrando occupatae inveniuntur; ut supra vidimus Cererem Triptolemo, Minervam Herculi, Dianam Apollini ministrantes. Quam rem singularem ex ea re explicari posse censeo, quod adoles-

---

1) Mon. dell. Inst. X. tb. 23. 24. = Wiener Vorlegeblätter D. tb. 1.

2) Cf. Roscher l. c. p. 1596.

3) Y. (XX) vs. 223 sqq.

4) Huc quoque spectat amphora collectionis Castellaniae, de qua mentio fit in Bull. epigr. IV. p. 97. no. 75.

5) Cf. Mon. dell' Inst. IV. tb. 15. Arch. Ztg. 1858 tb. 120. 3.

6) Benndorf: Wiener Vorlegeblätter 1888 tb. VI. 2b.

centi patris domum relinquenti non servi, sed sorores vel mater libationem parare solebant. Quae cum ita sint, statuam, in iis rebus humanis, quae sunt gravioris momenti, hoc ministrandi munus esse pietatis vel amoris erga eum, qui libationem facit. Quo fiebat, ut non servis hoc concederetur, sed eis, quibus curae erat is, qui libabat. Hoc modo aliud quoque monumentorum genus interpretandum esse iudico, quod me paucis tractaturum esse supra indicavi.

Saepenumero inveniuntur monumenta, in quibus actio libandi pressa non videtur, quamquam dei vel deae manibus tenent pateras. E talibus monumentis nonnulla eligam, de quibus mihi disserendum est. Primum inspicias, quid inveniatur in vasculo nigris figuris depicto, quod delineavit Gerhard:[1]) Minerva in solio sedens, veste Ionica pallioque induta sinistra manu galeam tenet et dextra pateram porrigit; hasta sinistro humero acclinata est; pedes in podio positi sunt, ubi serpens surgit. In media parte ara exstat flammis incensis, post quam columna Dorica et epistylium templum indicant. Inter Minervae statuam — nam simulacrum intelligendum esse, podio habituque deae probatur — atque aram mulier apparet simili veste induta ac dea; quae dextra ramum tenens sinistram in taurum porrigit, qui a dextra vasculi parte accedit. — Dubitari non potest, quin hoc loco sacrificium fiat Minervae ante ipsum deae simulacrum. Sed deam ipsam libaturam esse neminem Graecorum cogitasse dilucidum est. Complura exstant vascula, in quibus Apollo simili modo invenitur. Cf. pateram rubris figuris depictam, quam praebet de Witte:[2]) Apollo imberbis, seminudus, hederae corona ornatus, in sede sollemniter collocatus est, sinistra manu lyram tenens, dextra pateram.

[1]) Auserles. Vasenb. tb. 242.

[2]) Elite céram. II. tb. IV.

Ante dei simulacrum ara apparet, in qua flammae incensae sunt. Iam vero huc pertinere puto, quod depictum videmus in alio vasculo, ubi sacrificium invenitur:[1]) In eo est, ut sacerdos libationem effundat in aram; duorum ministrorum alter tibiis canit, alter lancem saturam tollit hirneamque propensam tenet. A dextra parte adolescens stat, fere toto pectore nudato, pallio indutus, qui sinistra manu laurei ramum tenet ac dextra pateram porrigit. Quae figura sine dubio Apollinis simulacrum habendum est, cui fit sacrificium neque cogitandum est, illi infusum esse vinum, quoniam minister nihil respicit nisi caerimoniam religiosam, sacerdos autem libationem necessariam in aram profundit neque est, cur alius libet. — Tum addam vasculum,[2]) ubi dea alata veste Dorica induta in podio sedet, in quo manum sinistram imponit, dextra tenens pateram. Cui deae appropinquat adolescens nudus, qui sinistra scutum habet brachio taenia cincto, dextra laurei ramum tenet. Pro certo habendum est, illum se contulisse in deae templum taeniis ornatum, ut gratias agat victoria parta. — Hoc loco recorderis illam pateram, quam a Phoenicibus factam supra attuli, in qua deae simulacrum, ante quod sacerdos versatur, pateram porrigit. — Iam melius eadem res cognoscitur in illo sepulcro antiquissimo, quod Xanthi repertum est.[3]) Illa dea, quae sinistra pateram tenens in solio sedet, huc optime quadrare videtur; de qua E. Curtius[4]) dicit: *die eine empfängt nur Opfer, wie die starr hingehaltene Schale andeutet* . . .

His monumentis, de quibus breviter disserui, satis demonstrari puto, omnibus temporibus deorum simulacra picta esse, quae manibus pateras porrigunt libandi actione non pressa. Quod ut interpreter, ea respicias, quae supra

[1]) Elite II. tb. CVI.
[2]) Millingen: peintures de vas. grec. tb. 47.
[3]) Archaeol. Ztg. XIII. (1855) tb. 1.
[4]) ibidem p. 4.

dixi de munere ministrandi, quale invenimus in iis vasculis, ubi praeter matrem, sorores Ceres, Minerva, Diana ministrantes apparent. Quam rem optime explicari censeo, cum dicimus, non libationem primum locum tenere, sed ipsum munus ministrandi. Nam illam pateram, quam tenet dei statua, alio modo intelligi non posse puto, nisi deum poscere, ut pro servis ii homines ipsi ministrent, qui cultum exhibituri templo appropinquent. Nam quod ei, qui usitato munere fungi non solent, hoc munus suscipiunt, honorem vel maiorem cultum habendum esse iam supra indicavi. Quae cum ita sint, illa patera, quae deo hoc modo attribuitur, significari censeo, deum postulare ab hominibus venerationem, cultum.

Eodem modo aliud quoque vasculorum genus intelligendum esse arbitror, ubi non deorum simulacra, sed ipsa numina inveniuntur. Iam Furtwängler de tali quodam vasculo recte iudicavit,[1]) cuius fragmenta in Dipylo reperta sunt. Summo iure ille v. d. duas deas, quae sceptris insignes sunt, Cererem et Proserpinam habendas esse censet atque ita, ut Ceres in sede collocata pateram teneat, in quam filia vinum ex hirnea infundit. Ad quod idem haec animadvertit: *Unsere κύλιξ vielmehr, wo die Mutter thront und von der Tochter bedient wird, gehört zu einer Klasse, wo das Eingiessen typisch ist als eine Ehrenbezeugung von Jüngeren den Aelteren erwiesen; hier ist natürlich die Bedeutung des Eingiessens als Dienstleistung die Hauptsache und der Beschauer sollte wohl kaum an die darauffolgende religiöse Handlung, die mit Gebet verbundene σπονδή denken.* Sed ab eo, quod nunc dicit ille v. d., me plane dissentire, ex iis, quae protuli, elucebit. Nam illis numinibus, Victoria, Iride, Mercurio, Amore, satyris, maenadibus non idem indicari, atque hoc in vasculo Proserpina ministrante, persuasum habeo. Quae omnia, ut supra exposui, plane re-

---

[1]) Mitteilungen des athen. Instit. VI. (1881) p. 115 sqq.

spondent vini ministris hominum. Sed aliis illis deis, Cerere, Minerva, Diana ministrantibus idem expressum esse, quod Furtwängler huic Proserpinae statuit, pro certo habeo.

Idem cognoscendum est in iis quoque monumentis, ubi deus pateram tenens exstat, sed deest is, qui ministrat, id quod optime demonstratur cratere rubris figuris depicto.[1]) Nam hoc loco fictus est Hercules, qui a Minerva et Mercurio in Olympum ductus Jovem alloquitur, qui pallio indutus, in locupleti solio collocatus sinistra manu sceptro nititur et dextra pateram tenet; post eum Apollo cithara canit. Dubitari non potest, quin neque convivium cogitandum sit neque Jupiter libationem effundat. Sed vult pictor patera addita significare, Jovem poscere, ut sibi veneratio fiat, id quod hoc loco optime quadrat, praesertim cum Hercules Jove favente in Olympum exceptus sit. —

Plurima sunt ea monumenta, quae huc pertinent; quae si omnia pertractarem latius digrediendum mihi esset. —

C. De libationibus, quas offerebant Graeci mortuis et heroibus.

Omnibus iis rebus tractatis, quae spectant ad libationes diis oblatas, restat, ut dicam de mortuorum libationibus. Cultum eorum, qui de vita decesserunt, iam antiquissimum fuisse, non est quod demonstrem. Sunt etiam, qui putent, eum antiquiorem esse deorum religione;[2]) qua de re accuratius inquirere supervacaneum est, cum

---

[1]) Mon. dell. Inst. IX. tb. 19.

[2]) Quibus de rebus egregie disputavit E. Rohde „Psyche". Cf. Furtwängler: Einleit. z. Samml. Sabouroff p. 16.

ad hanc quaestionem solvendam desint testimonia et litterarum et monumentorum. Ut de libatione funebri iudicare possimus, praeter omnia statuendum est, eam plerumque factam esse in sepulcrum. Nam in iis, quae de funere praecepta esse titulorum vel scriptorum testimoniis constat, nullo loco commemoratur, libatum esse donec domi erat corpus.[1]) — Hac quoque in re ab Homeri carminibus proficiscamur! Duo sunt loci, qui huc spectant, alter Iliadis, alter Odysseae; qui quidem non una sunt tractandi; nam illic caerimonia funebris apparet; hic libationes fiunt ad mortuorum animas eliciendas. — Quid igitur facit Achilles, ut Patrocli interfecto parentet?[2]) Primi diei vespera, ut sint cibo comitibus, multi boves, oves, caprae, sues iugulantur, quorum cruore circumfunditur mortuus. Tum die insequenti defuncto in rogo posito, boves et oves immolantur, quorum pingui mortuus amiciatur; deinde corporibus eorum in rogo cumulatis, vascula adiunguntur melle et oleo impleta. Quibus rebus peractis quattuor equi duoque canes et duodecim Troianorum adolescentes interfecti in rogum mittuntur. Qui dum flagrat Achilles per totam noctem effundit vini libationes *ψυχὴν κικλήσκων Πατροκλῆος δειλοῖο.* — E. Rohde, qui de hoc funere copiose disputavit,[3]) recte contendit, mortui animam sacrificio oblato frui opinionem fuisse Graecorum; sed valde dissentio ab iis, quae profert ille de interpretatione caerimoniarum. Neque enim omnia, quae comparat Achilles, sacrificia mortuo oblata esse mihi persuasum est. Ea, quae dicuntur de sanguine circa Patroclis corpus effuso, sane sacrificium habendum est, quo de genere *αἱμακουρία* vocato postea faciam verba. Sed nunc paullo altius inquiramus, quid sit sen-

---

[1]) Cf. Köhler: Mitteil. des arch. Inst. z. Athen I. p. 143.

[2]) Jliad. Ψ. vs. 30 sqq.

[3]) l. c. p. 14 sqq.

tiendum de caerimoniis in rogo factis. Nam hoc loco animalia immolata non esse intelligenda sacrificia, qualia sunt usitata, equidem censeo. Nam mea quidem sententia animalia occiduntur, ut pingui amiciatur corpus mortui: *ἐκ δ' ἄρα πάντων Δημὸν ἑλὼν ἐκάλυψε νεκὺν μεγάθυμος Ἀχιλλεύς Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς·* Tum corpora animalium circum Patroclem cumulantur: *περὶ δὲ δρατὰ σώματα νήει.* Haec tam breviter dicta sunt, ut omnino non conveniant cum illa diligentia, quae adhibetur in describenda animalium immolatione in Homeri carminibus saepe tractata. Pingui circumdatur corpus, ut facilius comburatur. Nunc quidem disseramus de melle et oleo, quae meo iudicio hoc loco libationes habendae non sunt. Qua de re inspicias, quod E. Curtius dilucide exposuit.[1]) Nam hic v. d. postquam de aquae situlis disputavit, quae mortuo, ne desit aqua fontis, in sepulcro apponebantur, hoc modo dicit (p. 170): *demgemäss wird man wohl berechtigt sein, auch bei den Hydrien, wie bei den anderen Vorraths- und Trinkgefässen, welche dem Verstorbenen mit in das Grab gegeben werden, eine gleiche Beziehung vorauszusetzen, dass auch der Tote fortfahre, sich an Trank und Bad zu erfreuen (λουτροῖς ἀενάοισιν ἀθύρ[ομαι] Cf. C. i. 6322). Eine solche symbolische Mitgabe von Wasser würde in einer Grabschrift geradezu ausgesprochen sein, wenn man C. i. 6267 vs. 10 mit Sicherheit lesen dürfte: ταύτην τὴν στήλην ἐποίησα Σώτας σε φιλήσας, ψυχῇ διψώσῃ ψυχρὸν ὕδωρ μεταδούς·*

Porro Curtius haec adnotat: *Auf das Totenbad beziehen sich nach meiner Ansicht auch die Oelfläschchen, welche bei der Ausstellung der Toten, wie bei der Bestattung vorzugsweise in Gebrauch waren. Wenn wir also die Gefässe im Grabe nicht als schmückenden Hausrath, sondern als einen symbolischen Ausdruck fortdauernder Lebensfreude auffassen, so würde dadurch*

---

[1]) Griechische Quell- und Brunneninschriften. (Abhdln. d. Gött. Ges. d. Wiss. VIII. (1859) p. 169 sqq.)

der Sinn, welcher der Ausstattung der Gräber zu Grunde liegt, klarer zu Tage treten. Cui interpretationi plane assentior; quin etiam supervacaneae hoc loco videntur libationes, quod et *αἱμακουρίαι* iam adhibitae sunt et vini libationes insequenti nocte effunduntur. — Quamquam concedendum est, fieri posse, ut animalium corpora eodem sensu, quo mel oleumque mortuo addita sint, tamen multo verisimilius puto, ea comburi, quod impura facta sunt pingui mortuo adhibito. — Equos et canes non victimas immolatas esse, non est quod probem, id quod iam hinc elucet, quod Graeci his animalibus non fruebantur. Denique id, quod profert Rohde de Troianorum adolescentibus, minime illum v. d. docuisse existimo. Nam mea quidem sententia apparet, eos in rogo ab Achille combustos esse, ut ulciscatur amici mortem. Adscribam verba, quae hoc firmant[1]):

πάντα γὰρ ἤδη τοι τελέω, τὰ πάροιθεν ὑπέστην
Ἕκτορα δεῦρ' ἐρύσας δώσειν κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι
δώδεκα δὲ προπάροιθε πυρῆς ἀποδειροτομήσειν
Τρώων ἀγλαὰ τέκνα, σέθεν κταμένοιο χολωθείς.

Nam hoc loco arte coniungitur Hector deformatus cum Troianis interficiendis atque addit Achilles ut causam proferat huius crudelitatis: *σέθεν κταμένοιο χολωθείς.* Eodem modo componitur utraque eadem res vs. 180 sqq. et pergit poeta vs. 183: *ὥς φάτ' ἀπειλήσας.* Qua re exposita non habeo, cur vocem occisos Troianos „sacrificatos.“[2])

Iam nunc disputem de altera illa caerimonia, de qua poeta in Odyssea refert.[3]) Ulixes postquam ad inferos se contulit, ut Tiresiam consulat, primum in fossam gladio factam, mortuis infundit *μελίκρατον*, vinum, aquam,

[1]) Il. *Ψ.* vs. 20.
[2]) Cf. Stengel: Griechische Sakralaltert. p. 97.
[3]) *λ.* vs. 25 sqq. Cf. *κ.* vs. 517 sqq.

quibus liquoribus frumentum addit. Tum precibus factis oves immolantur, quarum sanguis in fossam fluat. Quae res omnino conferendae sunt cum iis, de quibus verba feci in iuris iurandi caerimoniis disserendis. Hoc in mortuorum cultu, quem Homeri carmina tradiderunt, nondum inveniuntur sacrificia, qualia posterioribus temporibus fieri solebant. His quoque in caerimoniis actio libandi plurimum valet; exhibetur enim *μελίκρατον*, vinum, ovium sanguis. Idem iam Stengel recte sensit, cum dicit:[1] *Die zwei Odysseestellen sind spät; trotzdem ist es noch kein eigentliches Totenopfer, wie es später üblich war. Die Spende mag immerhin zur 'Labung früher Bestatteter' bestimmt gewesen sein, das Opfer ist es jedenfalls nicht.*

Iam vero ad eam transeamus quaestionem, quibus temporibus libatum sit mortuis.[2] Certis diebus mortuis oblata esse libamina, pro certo habendum est. Nam talia facta esse illis diebus festis, qui *νεκύσια*[3] vel *γενέσια*[4] celebrabantur, verisimillimum est, quamquam certa testimonia afferri non possunt. — Exstat titulus,[5] quem Olympiae in sepulcro fuisse constat, qui huc spectare videtur: *Δ]ημῆτρις Φειδίου κατεσκε[ύασα τὸ μνημεῖον αὑτῷ καὶ πατρί | μου Φειδίᾳ καὶ μητρί μου Ἀρετῇ καὶ | υἱῷ μου Δημητρίῳ, καὶ ἀδελφῷ μου [Ἀρι]στοκλεῖ· ἐπαφῶ τρῖς οἴκους ἔνπροσ[θ]εν τοῦ σταδίου τὸ ἐν [μέ]ρεσιν αὐτῶν πρὸς ἔτος ἐπιφέρεσθε χοὰς Φειδίᾳ κ[αὶ] Ἀρετῇ . . . κτλ.*

Sed multis quoque aliis occasionibus libationes offerebantur mortuis, quae semel factae non iterabantur. Ut agricola, qui praeterit Agamemnonis sepulcrum, vini utrem

---

[1]) Jahns Jahrb. f. Phil. 1883. p. 374.

[2]) Cf. Stengel: Philologus 1880 (XXXIX) p. 378—81.

[3]) Cf. Bekker: Anecd. p. 86. p. 231. Rohde l. c. 215.

[4]) Cf. Artemidor. IV. 81. Poll. III. 201. Stengel: Griechische Sakralaltert. p. 100.

[5]) Corp. inscr. graec. no. 4325 f. (Add.).

aperit, ut libando principem veneretur.[1]) Orestes in patriam reversus primum se confert ad patris tumulum, ut ei cum alias res tum libationem praebeat.[2]) Ad placandum Agamemnonem maritum turpissime interfectum Clytaemnestra somnii imagine perterrita libationes in sepulcro fieri iubet.[3]) Denique multis exemplis omissis memineris, Atossam Dario libationes offerre, ut ille sibi appareat.[4]) Ex omnibus locis, quos protuli, iam satis elucet, maxime propinquos defunctum hoc honore affecisse, imprimis, quod attinet ad ipsum funus, cui omnia praeparare solebant ipsi propinqui. Sed postea amicos quoque, alios in sepulcro libasse non est, quod explicem. — Huc addam, quae verba facit Electra,[5]) cum videat appropinquantem sororem, quae matris libamina portat:

ἀλλ᾽, ὦ φίλη, τούτων μέν, ὧν ἔχεις χεροῖν
τύμβῳ προσάψῃς μηδέν· οὐ γάρ σοι θέμις
οὐδ᾽ ὅσιον, ἐχθρᾶς ἀπὸ γυναικὸς ἱστάναι
κτερίσματ᾽ οὐδὲ λουτρὰ προσφέρειν πατρί.

Nam fieri potuit, ut mortui anima libationes benigne non exciperet, id quod hinc quoque concludi posse censeo, quod Darii umbra, quae libatione commota uxori apparuit, aperte planeque pronunciat: *χοὰς δὲ πρευμενὴς ἐδεξάμην.*[6])

Nunc inquirendum est, quid sit libatum mortuis. Hac quoque in quaestione statuendum esse mihi persuasi, — id quod iam antea vidimus in disserendis iis sacris, quae *νηφάλια* vocabantur — non semper eosdem liquores adhibitos esse; sed consuetudinem aliam fuisse aliis tempo-

---

[1]) Euripid. Electr. vs. 511 sqq.
[2]) Sophoclis Electr. vs. 887 sqq.
[3]) ibidem vs. 405 sqq. 431 sqq.
[4]) Aeschyli Pers. vs. 608 sqq.
[5]) Sophocl. Electr. vs. 431 sqq.
[6]) Aeschyli Pers. 685 sqq.

ribus. Stengel v. d. de hac re disseruit[1]) et omnibus locis consideratis mel ac vinum plerumque esse oblata docuit. Optime incipiamus ab iis liquoribus mixtis, quos Graeci vocabant *μελίκρατον*.[2]) Eusthatius ad Homeri Odyss. X. 519. haec animadvertit: *μελίκρατον δὲ οἱ παλαιοὶ μῖγμά φασι μέλιτος καὶ γάλακτος ἐνταῦθα οἱ μέντοι μεθ' Ὅμηρον μέχρι καὶ ἐς ἄρτι κρᾶμα μέλιτος καὶ ὕδατος τὸ μελίκρατον οἴδασι. Νηφάλιον δὲ πόμα καθὰ τὸ ἐξ ὕδατος, οὕτω καὶ τὸ ἐκ μέλιτος ψυχαῖς πρέπον καὶ ὅλως τοῖς ἐν Ἅιδου.* — De hac re iam Stengel recte iudicavit,[3]) cum contendit, in hoc potu semper fuisse lac, ut *μελίκρατον* ex melle et lacte constare existimandum sit. Quae interpretatio firmatur aliis locis, ubi *μελίκρατον* hoc modo explicatur: ut Schol. Eurip. Orest. vs. 115: *ὅταν γὰρ ἐπιχέηται οἶνος τῷ ἐκ μέλιτος καὶ γάλακτος κράματι ἐπιπολαίως κεῖται.* Cf. Porphyrii verba:[4]) *σπένδουσιν οἱ ψυχαγωγοὶ μέλι κεκραμένον γάλακτι.* At dubitari non potest, quin saepenumero illis liquoribus aqua adiuncta sit.[5]) — Iam plura de mortuorum cultu refert Eusthatius:[6]) *ἀμφ' αὐτῷ* (sc. *βόθρῳ*) *δὲ χοὴν φησι πᾶσι νεκύεσσι, πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ, τὸ δὲ τρίτον αὖθ' ὕδατι ὡς εἶναι καὶ τοῦτο, οἷον τριττύν τινα ἢ τριττὸν κατὰ τὴν τῶν θυομένων ζώων.* Tres liquores aliis quoque locis inveniuntur atque sub uno nomine *χοαὶ τρίσπονδοι* vocantur. Scholiasta ad Sophocl. Antig. vs. 429 haec dicit: *χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νεκὺν στέφει*]*τρισπόνδοισι: μέλιτι, γάλακτι, οἴνῳ.* Quae interpretatio num sit probanda nescio. Nam illis Eusthatii verbis inspectis, fieri posse censeo, ut *μέλι* et *γάλα* una libatio *μελίκρατον* habenda sit, altera vinum, tertia aqua. Sed de hac re quaerere non

[1]) Philologus 1880 p. 378—81.
[2]) Cf. Diodor. V. 62.
[3]) Cf. Adnot. 1.
[4]) de antr. nymph. c. 28.
[5]) Cf. Sophocl. Oed. Col. vs. 474 cum Schol., alia.
[6]) ad Hom. Od. X. 517.

ausim, quoniam aliam fuisse consuetudinem aliis temporibus constat. Illis locis, ubi non invenitur nisi lac, quod libatur mortuis, mel quoque intelligendum esse summo iure Nitzsch iudicavit.[1]) Iam vero alii loci demonstrant, vinum saepissime additum esse ad illud *μελίκρατον*,[2]) qua in re maxime differunt mortuorum libamina ab eis, quae *νηφάλια* sola numinibus inferis oblata esse supra exposui. Cf. Euripidis Orest. vs. 114. 5:

ἐλθοῦσα δ' ἀμφὶ τὸν Κλυταιμνήστρας τάφον
μελίκρατ' ἄφες γάλακτος οἰνωπόντ' ἄχνην ....

Oleum quoque invenitur in caerimoniis funebribus,[3]) quod temporibus quibusdam ita in usu fuit, ut lex ferretur, quae hoc restringi iussit. Titulus enim Delphis inventus[4]) haec tradidit: *φέρεν δὲ οἶνον ἐπὶ τὸ σῆμα μὲ πλέον τριῶν χῶν καὶ ἔλαιον μὲ πλέον ἑνός· τὰ δὲ ἀγγεῖα ἀποφέρεσθαι.* Unus exstat locus, ubi omnes hi liquores mel, lac, aqua, vinum, oleum adhibentur: apud Aeschylum (Pers. vs. 608 sqq.)

Denique sanguinis quoque potum mortuis oblatum esse iam supra vidimus in Odyss. λ. vs. 36 sqq. Sed poetae posteriores hac in re nihil differunt; ut Euripid. Hecub. vs. 535 sqq:

ὁ δ' εἶπεν· ὦ παῖ Πηλέως, πατὴρ δ' ἐμός,
δέξαι χοάς μου τάσδε κηλητηρίους
νεκρῶν ἀγωγούς· ἐλθὲ δ' ὡς πίῃς μέλαν
κόρης ἀκραιφνὲς αἷμα, ὅσοι δωρούμεθα
στρατὸς δὲ κἀγώ· πρευμενὴς δ' ἡμῖν γενοῦ.

Sanguinem effusum libationem esse habendam iam saepius indicavi et his quidem in caerimoniis eodem

---

[1]) ad Odyss. III. p. 162.

[2]) Cf. Luciani Char. cap. 22.

[3]) Cf. Euripid. Iph. Taur. vs. 635 sqq. Plut. Aristid. 21.

[4]) ap. Dittenbergerum in Syllog. no. 467. vs. 9.

modo explicandum est, quamquam in Eur. Heraclid. vs. 1040. discernuntur χοαί et αἷμα: ἀλλὰ μήτε μοι χοὰς | μήθ' αἷμ' ἐάσητ' εἰς ἐμὸν στάξαι τάφον. Nam χοαί vocabantur illae libationes, quae e melle, lacte, vino, oleo constabant; sed sanguinem eodem modo esse oblatum, iam probat Euripidis Hecub. vs. 127: τὸν Ἀχίλλειον τύμβον στεφανοῦν αἵματι χλωρῷ. Nam hic sanguis circumfunditur sepulcro, ut aliae illae libationes. Sed exstat quoque locus, ubi sanguis ab iis libationibus, quae dicuntur χοαί non discernatur. Cf. Eur. Phoen. vs. 933 sqq:

δεῖ τόνδε θαλάμαις, οὗ δρακὼν ὁ γηγενὴς
ἐγένετο Δίρκης ναμάτων ἐπίσκοπος
σφαγέντα φόνιον αἷμα γῇ δοῦναι χοὰς
Κάδμου παλαιῶν Ἄρεος ἐκ μηνιμάτων κτλ.

Tum cf. eiusdem fabulae versus 1575 sqq: αἵματος

ἤδη ψυχρὰν λοιβὰν φοινίαν,
ἂν ἔλαχ' Ἀΐδας, ὤπασε δ' Ἄρης.

Denique statuendum est, mortuorum animas eodem modo uti sanguine, ac melle, lacte, vino, oleo.

Atque nunc ad eam accedamus quaestionem, quid fuerit, cur mortuis libationes effusae sint. Quam ad rem explicandam multi scriptorum loci suppeditant. Dilucide Lucianus, quo modo mortuorum libationes intelligendae sint, indicat, cum narrat:[1]) καὶ εἰς τὰ ὀρύγματα οἶνον καὶ μελίκρατον ἐκχέουσιν· πεπιστεύκασι τὰς ψυχὰς ἀναπεμπομένας κάτωθεν πίνειν ἀπὸ τῶν βόθρων τὸ μελίκρατον. Idem iam ex Homeri Odysseae carmine undecimo intelleximus, cum animae vehementer ingressae in fossam vix retineri possunt, ut cedant Tiresiae. Alio quoque loco Lucianus[2]) de hac re refert haec: αἱ ψυχαὶ τρέφονται ταῖς χοαῖς. Sed non solum hoc auctore niti oportet, quoniam ex Euripidis

---

[1]) Char. cap. 22.

[2]) de luctu cap. 9.

Hecub.[1]) versibus, quos supra adscripsi, dilucide apparet, Achillem adpellari a filio, ut bibat libamina neque opus videtur, huius rei plura testimonia afferre. — Sed aliud quoddam premendum esse opinor: Mirum videtur, quod saepissime coniunguntur eae libationes, quas *νηφάλια* vocare solemus,[2]) cum vino, quod illis repugnare in cultu furiarum, nympharum, musarum etc. supra demonstravi. Nam re vera has quoque libationes funebres eandem habuisse vim, ac *νηφάλια* deorum inferorum, hinc concludi potest, quod vocantur *μειλίγματα*[3]) vel *μειλικτήρια.*[4]) Itaque iam hac ex re cognosci potest, factas esse libationes, ut mortuorum animae placatae faverent hominibus. — Sed non solum numina infesta habentur mortui, ut dei inferi, quibus *νηφάλια* offeruntur, sed etiam haeret in eis aliquid humani, quod vino oblato delectatur; et hac ipsa re differunt mortuorum animae a deis inferis. Haec animarum natura optime illustratur Aristophanis verbis,[5]) qui ironice narrat de vita beata mortuorum beatorum. Quos versus hoc loco adscribere liceat:

οὐδὲ γὰρ ἂν ἀποθανόντες ἐστεφανωμένοι
προὐκείμεθ᾽, οὐδὲ βακκάρει κεχριμένοι,
εἰ μὴ καταβάντας εὐθέως πίνειν ἔδει.
διὰ ταῦτα γάρ τοι καὶ καλοῦνται μακάριοι·
πᾶς γὰρ λέγει τις· ὁ μακαρίτης οἴχεται,
κατέδαρθεν· εὐδαίμων, ὃς οὐκ ἀνιάσεται.
καὶ θύομεν αὐτοῖσι τοῖς ἐναγίσμασιν
ὥσπερ θεοῖσι καὶ χοάς γε χεόμενοι
αἰτούμεθ᾽ αὐτοὺς δεῦρ᾽ ἀνεῖναι τἀγαθά.[6])

Iam ex his ultimis verbis apparet, Graecos sibi persuasisse, mortuos magnam habuisse vim ad res humanas.

[1]) vs. 535 sqq.
[2]) Cf. Eusthat. ad Od. X. 519.
[3]) Cf. Aeschyl. Choeph. vs. 15
[4]) Cf. Aeschyl Pers. vs. 610
[5]) Tagenist. fr 1. vs. 6 sqq. (Kock. I. p. 517 n. 488.)
[6]) Cf. Platon. Rep. II. 363 C.

Quod ut melius cognoscatur, etiam alii loci afferri possunt; ut Scholiasta ad Eurip. Orest. vs. 1187, ubi poeta dicit de Helena, quae appropinquat: *χοὰς κατασπείσουσ' ὑπὲρ μητρὸς τάφῳ* haec adnotat: *ἀπῆλθεν εἰς τὸν τάφον τῆς Κλυταιμνήστρας, ὅπως αὐτῇ σπείσῃ εὐμένειαν πρὸς Ἑλένην καὶ Μενέλαον ἔχειν.* Sophoclis Electr. vs. 82 sqq. similia significant:

> *μηδὲν πρόσθεν, ἢ τὰ Λοξίου*
> *πειρώμεθ' ἔρδειν, κἀπὸ τῶνδ' ἀρχηγετεῖν,*
> *πατρὸς χέοντος λουτρά. ταῦτα γὰρ φέρει*
> *νίκην τ' ἐφ' ἡμῖν καὶ κράτος τῶν δρωμένων.*

His versibus dilucide probari censeo, eadem ex causa mortuis libasse Graecos, qua deis superis, a quibus hac re differunt, quod manes hominibus non tam bona praebere, quam mala mittere Graecis videbantur. Sed in mortuorum libationibus etiam aliud infuisse, ex illa voce apparet, quae saepe adhibetur: *λουτρά.* De qua Scholiasta ad Sophocl. Electr. vs. 84. hoc disserit: *πατρὸς χέοντος λουτρά*]*σπένδοντες τῷ πατρί, τὰς τοῦ πατρὸς χοὰς τελοῦντες, διότι αἱ θυσίαι αἱ πρὸς ἐκεῖνον ἐπὶ καλῷ ἑαυτῶν γενήσεσθαι ἔμελλον, διὰ τοῦτο λουτρὰ ταύτας καλεῖ, ὡς καθάρσια τοῦ μιάσματος, ὃ ἔμελλον κτήσασθαι, εἰ Κλυταιμνήστραν καὶ Αἴγισθον ἀνέλοιεν. μὴ γὰρ ὅτι οὐ δίκαιοι ἦσαν οὗτοι τεθνάναι, ἀλλ' ὅτι πᾶς φόνος μίασμά ἐστιν.* Recte iudicat scholiasta, *λουτρά* fuisse lustrum, quo is, qui pollutus est, quasi balneo purgatur; at errare eum censeo, cum hoc ducit ad Orestem et Electram. Neque enim sibi fundunt *λουτρά*, sed patri, qui quod interfectus est, maculis aspersus est. — Exstat locus dignus, qui accuratius tractetur: Plutarchus enim de Plataeensium more quodam haec fere refert[1]): In singulos annos pompa fit ad sepulcra eorum, qui apud Marathonem[2]) pro patria occisi erant: *προηγεῖται μὲν ἅμ' ἡμέρᾳ*

[1]) Cf. Furtwängler: Einleit. z. Samml. Sab. p. 21.

[2]) Aristid. cap. 21.

σαλπιγκτῆς ἐγκελευόμενος τὸ πολεμικόν, ἕπονται δὲ ἅμαξαι μυρρίνης μεσταὶ καὶ στεφανωμάτων καὶ μέλας ταῦρος· καὶ χοὰς οἴνου καὶ γάλακτος ἐν ἀμφορεῦσιν, ἐλαίου τε καὶ μύρου κρωσσοὺς νεανίσκοι κομίζοντες ἐλεύθεροι. Tum archon candida veste indutus sepulcra lavata myrrhis unxit καὶ τὸν ταῦρον εἰς τὴν πυρὰν σφάξας καὶ εὐξάμενος Διῒ καὶ Ἑρμῇ χθονίῳ παρακαλεῖ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τοὺς ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος ἀποθανόντας ἐπὶ τὸ δεῖπνον καὶ τὴν αἱμακουρίαν· ἔπειτα κρατῆρα κεράσας οἴνου καὶ χεάμενος ἐπιλέγει· Προπίνω τοῖς ἀνδράσι τοῖς ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος ἀποθανοῦσι . . . .

Quae consuetudo singularis non sacrificium habendum est, quod mortuis oblatum homines ipsi non tangunt, sed dilucide apparet, Plataeenses ipsos participes esse epuli mortuis dati atque ita, ut more humano discernatur coena a convivio. Nam primum taurus iugulatur, tum cratere mixto vinum ab archonte propinatur mortuis. Sed huc iam paucis revertar. Haec caerimonia arte cohaeret cum illis epulis, quae fiebant principe sepulto; quem morem in Homeri carminibus[1]) commemoratum postea non in usu fuisse Rohde[2]) iure explicavit. Tamen similis consuetudo posterioribus quoque temporibus constitisse videtur, quae vocabatur *περίδειπνον*. Nam hac in re idem sensisse Graecos apparere puto, nisi quod familia pro populo sollemnitatem celebrabat. De qua religione Schoemann[3]) haec dicit: *Es war der Sinn, sich noch einmal gemeinschaftlich des Hingeschiedenen liebend zu erinnern und seiner Verdienste mit Anerkennung und Lob zu gedenken.* Sed multo subtilius Rohde[4]) iudicat, qui sensum huius caerimoniae plane intelligi non posse contendit, nisi mortui anima cogitetur, quae praesit epulis eodem modo, quo dei sacrificiis. Talis coenae exemplum invenitur in Demosthenis

[1]) Iliad. XXIV. vs. 802. 665.
[2]) l. c. p. 24.
[3]) Griech. Altert. II. p. 543.
[4]) l. c. p. 24.

orat. de cor. § 288, ubi *περίδειπνον* apud ipsum illum celebratur ab omnibus iis, quorum propinqui apud Chaeroneam occisi erant.[1]) — His in rebus tractandis iam multa protuli, quae ad cultum non magis mortuorum, quam heroum spectant. Quem utrumque cultum fuisse simillimum notum est, id quod Stengel[2]) hoc modo exprimit: *Von Heroen- zu Totenopfern ist nur ein Schritt. Die Heroen sind ja nichts anderes, als erhabene Tote*;[3]) tamen iure premitur,[4]) superiores fuisse heroas quasi semideos. Sed a deorum superorum cultu multum differunt caerimoniae, quae fiunt heroibus. At non meum est, in hac opella de his rebus accuratius tractare;[5]) hoc statutum velim, heroum libationes non in aram deorum (*βωμός*), sed in focum quendam[6]) (*ἐσχάρα*) vel in fossam vel humi effusas esse. Tum heroum libationes semper praevaluisse in sacrificiis, ex omnibus litterarum testimoniis satis superque elucet.[7]) Quod equidem ita interpretor, ut eas principales fuisse dicam. Nam quae iam vidimus in iis caerimoniis, quas faciebant Graeci in iure iurando, eadem in cultu et mortuorum et heroum inveniri pro certo habeo; quod enim pertinet ad animalia, quae sacrificiis occidebantur, plerumque non adhibebantur, nisi ad sanguinem adiungendum libationibus, quas Boeoti et Elei vocabant *αἱμακουρίας*. Postquam sanguis ex animalium iugulis effluxit, primis temporibus corpora aliquo modo ablata esse persuasum habeo; atque hoc in Homeri Odyssea *λ*. vs. 36 sqq. factum esse censere non dubito. Postea haec

---

[1]) Cf. Bekker-Göll: Charikles III. p. 151, qui eos locos composuit, qui ad *περίδειπνον* pertinent.

[2]) Jahns Jahrb. f. Philol 1883 p. 375. Cf. Furtwängler: Sabour. p. 19.

[3]) Cf. Rohde: „Psyche" p. 140.

[4]) ibidem p. 143.

[5]) ibidem p. 139 sqq.

[6]) Cf. E. Curtius: Altäre von Olympia p. 21 sqq.

[7]) Cf. Paus. V. 15. 7. Hdt. VII. 43. Diod. V. 62. Cf. Deneken: ap. Roscher p. 2507. 2509.

corpora, ne quis hominum ea tangat, optime igne e medio tolli intellexerunt Graeci,[1]) id quod inter sacrificii caerimonias receptum est. — Quin etiam contendam, corpora posterioribus quoque temporibus mortuis data non esse cibo. Nam hoc ex omnibus illis locis, ubi accuratius describitur caerimonia, dilucide cognoscendum esse puto excepta illa Plataeensium consuetudine, quam non inferias sed epulum habendum esse supra exposui; nam hoc iam hinc elucet, quod archon ipse vinum bibit heroibus propinatum, id quod fieri non potest inferiis mortuis oblatis. Quem diem festum similem honorem habendum esse iudico, qualis fuit Athenis, aliis locis, ubi optimi urbis viri in prytaneo hospitio excipiebantur. — Sed omnia ea testimonia, quae inferias continent, meam opinionem plane firmant, ut Philostratus,[2]) qui de sacrificio Achilli heroi oblato narrat, fossas esse factas in tumulo, in quas animalium sanguis fluat. E Pausaniae loco[3]) apparet, nihil missum esse in tales fossas, nisi sanguinem: *καὶ ἄγοντες ἱερεῖα οἱ Φωκεῖς τὸ μὲν αἷμα δι' ὀπῆς ἐσχέουσιν ἐς τὸν τάφον, τὰ δὲ κρέα ταύτῃ σφίσιν ἀναλοῦν καθέστηκεν.*[4]) Hoc in sacrificio Xanthippo heroi facto illa vestigia inesse puto, quae iam in Odysseae loco invenimus, ubi mortuis non offertur, nisi sanguis, corporibus aliquo modo ablatis. Idem significari his Pausaniae verbis[5]): *λέγεται δὲ καὶ ὡς ἔθυσεν εἰς τὸν βόθρον τῷ Πέλοπι*, pro certo habeo; nam huius rei alius exsistit testis: Pindarus,[6]) qui Pelopi heroi ea sacrificia oblata esse commemorat, quae *αἱμακουρίαι* vocantur. Ad eundem versum scholiasta haec adnotat: *κατ' ἐνιαυτὸν πάντες οἱ ἐν τῇ Πελοποννήσῳ ἔφηβοι ἐν τῷ τοῦ Πέ-*

[1]) Cf. Rohde l. c. p. 139.
[2]) Heroic. XIX. p. 741.
[3]) X. 4. 10.
[4]) Cf. Stengel: „Hermes“ 1892 p. 166.
[5]) V. 13. 2.
[6]) Olymp. I. vs. 90 sqq.

λοπος τάφῳ ταῖς μάστιξι ξαινόμενοι ὥσπερ τινὰ σπονδὴν τὸ αὑτῶν αἷμα τούτῳ παρεῖχον. — Hanc consuetudinem, si modo re vera exstitit, idem valuisse ac *αἱμακουρίαι* patere puto. Hoc loco addam aliis exemplis neglectis, quae verba facit Stengel[1]): *Durch ein Loch, das zu diesem Zwecke gegraben wurde, oder sich wohl auch dauernd im Grabhügel befand, liess man, wie bei den auf einer ἐσχάρα dargebrachten Heroenopfern das Blut ins Erdreich strömen, verbrannte dann den Leib des Thieres und vergrub die Asche.* — Denique pauca dicere liceat de duobus verbis, quae aliquid afferunt ad hanc quaestionem solvendam: *ἐναγίζειν* et *ἐντέμνειν*.[2]) Quas voces *ἐναγισμός* et *ἐναγίζειν*, ut *ἔντομα* et *ἐντέμνειν* non in usu fuisse, nisi in heroum mortuorumque cultu constat; porro *ἐναγίζειν* pertinere ad animalia recte contendit Deneken,[3]) qui haec dicit: *Ursprünglich dürfte in der That ἐναγίζειν das Hinablassen von Blut und Opferstücken in das Grab oder in die Opfergrube bezeichnet haben.* Qua cum interpretatione consentio; sed mihi non probatur, partes animalium in fossas deiectas esse. Nam quod in Samothraces insulae et Thebarum fossis Cabirorum cultus ossa sunt reperta, nihil valere censeo, cum haec Cabirorum religio in Asia orta atque in Graeciam translata omnibus Graecorum cultibus exemplum statuendum non sit; accedit, quod nullus scriptor de hac re quidquam refert, sed de sanguine. — Tum Pausanias eo loco, quo dicit de Herculis duplici sacrificio[4]): *τὰ μὲν ἐσθίουσιν ἀπὸ τοῦ ἱερείου τὰ δὲ ὡς ἥρωι τῶν κρεῶν ἐναγίζουσιν*, nihil aliud indicat, ac partem corporum cibo fuisse, partem (heroi datam) combustam esse. Nam vocem *ἐναγίζειν* postea actionem quoque comburendi significasse notum est.[5]) De altero illo verbo

---

[1]) Griechische Sakralaltertümer p. 100 sqq.

[2]) Cf. Stengel: quaest. sacrific. p. 14 sqq.

[3]) apud Roscher p. 2505.

[4]) XI. 10. 1.

[5]) Cf. Deneken l. c. p. 2506.

ἐντέμνειν scholiasta in Apollonium Rhodium haec refert[1]: ἔντομα δὲ τὰ σφάγια κυρίως τὰ τοῖς νεκροῖς ἐναγιζόμενα διὰ τὸ ἐν τῇ γῇ αὐτῶν ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλάς. —

Quibus rebus expositis satis elucere existimo, duas illas voces, quae in usu erant ad inferias Graecorum significandas, id firmare, quod alio modo demonstrare conatus sum: animalia inferiis adhibita esse, quorum sanguis iugulis scissis mortuis offerretur neque unquam ipsa corpora pro alimentis sacrificata esse. — Quod pertinet ad caerimoniam Thesmophoriis factam, ubi sues in fossas (χάσματα, μέγαρα, ἄδυτα) demergebantur, hoc non sacrificium habendum esse, quale vinum et sanguis mortuis offeruntur, hinc elucere puto, quod corpora mortuo non cibo dabantur sed putrida effossa ad superstitiosas quasdam res adhibebantur.

Ad heroum cultum spectat anaglyphorum genus, quae plurima servata sunt; de quibus cum iam saepe disputatum sit,[2]) hoc loco non faciam nisi pauca verba. Duo genera discernenda sunt, primum, ubi mortuus vel heros — nam utraque vox idem valet — iacens in lecto, ante quem mensa invenitur cibis exstructa, vel pateram tenet[3]) vel ipse sibi infundit vinum.[4]) Quem exadversus plerumque mulier exstat, quae uxor est habenda defuncti. Haec plerumque in herois lecto sedet otiose spectans;[5]) sed fit quoque, ut ipsa particeps inveniatur caerimoniae tura spargens.[6]) Fere nunquam deest puer, qui vini minister

---

[1]) ad I. vs. 587.

[2]) Optime de his rebus disputavit A. Furtwängler: Einleitung zur Sammlung Sabouroff p. 16 sqq. Cf. Friedrichs-Wolters: Gipsabgüsse p. 347 sqq. no. 1052 sqq. Holländer: de anaglyphis sepulcralibus etc.

[3]) Cf. Ephemeris 1840 no. 269 = Le Bas tb. 52. Ephem. 1839 no. 305. Friedrichs-Wolters no. 1052—55. 1066.

[4]) Cf. Ephemer. 1842 no. 853 = Le Bas tb. 55 etc.

[5]) Cf. Ephemer. 1840 no. 269 etc.

[6]) Ephemer. 1842 no. 853 = Le Bas 55.

heroi additus est, vel trullam[1]) vel pateram hirneamque tenens.[2]) Praeter has figuras quae omnes arte coniunctae sunt, aliae existunt multo minores fictae, quae adorationis gestum praebentes heroi appropinquant.[3]) Dubium non est, quin hae iure propinqui significentur. In mensa, quae ante mortui lectum posita est, liba frugesque exstructa esse contendere non dubito, quamquam non plus semel cognosci potest uva.[4]) Fieri non posse, ut partes corporum his cibis appositae sint, ex omnibus iis, quae de hac re exposui, elucere censeo atque iis locis, ubi adducuntur oves[5]) vel sues,[6]) sanguinis libationem indicari mihi persuasi. His rebus prolatis iam demonstravi, mea quidem sententia in illis anaglyphis non coenam cotidianam vivi, sed inferias mortui repraesentatas esse, id quod vel iis figuris probatur, quae adorantes heroem adeunt, qui solus iacens invenitur. Quibus anaglyphis hoc modo explicatis facile intelligitur, mortuo adesse uxorem et propinquos, quorum maxime erat, omnibus rebus fungi, quae ad defunctum pertinebant. — Alterum illud genus anaglyphorum sepulcralium, quae pleraque Spartae reperta sunt,[7]) mortuos praebet in soliis collocatos atque ita, ut mulier[8]) florem vel malum granatum, vir cantharum tenere soleat. His quoque in ana-

[1]) Le Bas tb. 52.

[2]) Friedr.-Wolters l. c. 1054.

[3]) Cf. Friedr.-Wolters 1058. = Le Bas tb. 55. Friedr.-W. 1054. 1062. 1066. 1068 etc

[4]) Salinas: Monumenti sepolcrali tab. I, L. 4, B.

[5]) Cf. Welcker: Alte Denkm. II. tb. 13. 24.

[6]) Cf. Stephani: „Der ausruhende Herakles" tab. 3, 1. Le Bas tb. 55, 2.

[7]) Cf. Friedrichs-Wolters l. c. no. 58—65. Cf. Mitt. des arch. Inst. II. tb. 20—21. = Furtwängler: Samml. Sabouroff, I. tb. 1. Mitt. d. arch. Inst. Ath. II. 22. 24. IV. 8, 1. 2.

[8]) Mirum non est, quod mulier hoc loco heroi addita est. Nam et heroinarum cultum floruisse, Athenaei verba demonstrant: *Ἠλεῖοι δὲ καὶ ἥρωσι καὶ γυναιξὶ σπένδουσιν ἡρώων, ὅσοι τε ἐν τῇ χώρᾳ τῇ Ἠλείᾳ, καὶ ὅσοι παρὰ Αἰτωλοῖς τιμὰς ἔχουσιν.*

glyphis adorantes inveniuntur, qui quidem valde differunt ab illis, quos supra vidimus. Nam cum illi nihil facere soleant, nisi adorandi gestum, hi dona ferentes apparent, ovum, gallum, florem, malum granatum, alia. Quas res si perlustraveris, statim tibi in mentem veniet illud sepulcrum Xanthi repertum, de quo iam supra disputavi. Quamquam his quoque in monumentis sacrificia fiunt mortuis, tamen caerimonia plane alia invenitur, atque in primo illo genere anaglyphorum, in quo heros fruitur coena; hoc in altero cantharus heroi additus est eodem sensu, quem iam supra exposui, ubi patera porrecta[1]) dei vel deorum simulacra officium vel potius venerationem sibi vindicant. — Quod alterum genus antiquius esse, quam illa necrodipnia nemo negabit. Quo modo hae duae anaglyphorum formae adhibitae sint ad deos illos inferos significandos, qui Eleusine vocantur *ὁ θεός* et *ἡ θεά*, non meum est, hoc loco accuratius disserere. De his rebus inspicias, quae Furtwängler v. d. egregie patefecit. (Einleit. z. Samml. Sab. p. 29 sqq.).

III.

Nunc vero, ut ad finem perducam disputationem meam, paucis adumbrare liceat, quo modo sint translata verba libandi. Voces *σπονδαί*, *σπένδεσθαι* vel *σπονδὰς ποιεῖσθαι* posterioribus temporibus ita adhiberi solent, ut significent *indutias*, *foedus* — indutias facere, foedus inire. Facile intellegitur, hanc verbi significationem haustam esse ex iis libationibus, quae fiebant in iure iurando. Huius rei vestigia exsistere puto eis locis, ubi componuntur *σπον-*

---

[1]) Cf. Furtwängler l. c. p. 24.

δαί et ὅρκος vel σπένδεσθαι, σπονδὰς ποιεῖσθαι et ὀμνύναι, ut Plato Civ. II. 379 E: τὴν δὲ τῶν ὅρκων καὶ σπονδῶν σύγχυσιν. Cf. Thuc. I. 146. Euripid. Phoeniss. vs. 1240: ἐσπείσαντο κἀν μεταιχμίοις ὅρκους συνῆψαν. Thuc. V. 17: ἐσπείσαντο πρὸς τοὺς Ἀθηναίους καὶ ὤμοσαν. His locis verbis iuris iurandi additis mea quidem sententia explicantur voces: σπένδεσθαι, σπονδὰς ποιεῖσθαι. Quod iam magis firmari puto his verbis Diodori:[1]) τὸν δὲ Διόνυσον παράγοντα καθ᾽ ἕνα τῶν αἰχμαλώτων καὶ διδόντα σπονδὴν οἴνου πάντας ἐξορκῶσαι συστρατεύειν ἀδόλως καὶ μέχρι τελευτῆς βεβαίως διαγωνιεῖσθαι· διὸ καὶ τούτων ὑποσπόνδων ὀνομασθέντων τοὺς μεταγενεστέρους ἀπομιμουμένους τὰ τότε πραχθέντα τὰς ἐν τοῖς πολέμοις διαλύσεις σπονδὰς προσαγορεύειν. Dilucide his verbis demonstratur, Diodorum vel illius auctorem recte sensisse, vocem σπονδαί, id est: αἱ ἐν τοῖς πολέμοις διαλύσεις, ex iuris iurandi libatione ductam esse. Quod ut explicetur fabula illa bacchica fingitur. Iam vero alia addam ad hanc sententiam instituendam. Supra intelleximus Homeri carminibus examinatis, in iure iurando non solum vini libationem oblatam esse deis superis (θεοῖς αἰειγενέτῃσιν), sed etiam sanguinis libationem deis inferis, quos iuris iurandi testes et vindices Graeci fingebant. Eandem caerimoniam, de mortuorum heroumque cultu ubi disserui, tractavi atque quod illo loco protuli de ἐντέμνειν huc spectare iudico. Qua voce explicanda est illa locutio ὅρκια πιστὰ τέμνειν. Nam cum multis aliis rebus, quas supra tractavi, tum hac quoque re demonstrari puto, in iure iurando victimam non esse immolatam, sed iugulatam, ut sanguinis libatio primum teneret locum.[2]) Itaque non mirum est, quod invenitur σπονδὰς τέμνειν[3]) eodem sensu, quo ὅρκια τέμνειν. Nam antiquos hac elocutione

---

[1]) III. 71. 42.

[2]) Cf. quae supra exposui de iuris iurandi libatione.

[3]) Euripid. Helen. vs. 1235. Cf. Diels: Sibyllinische Blätter p. 72.

usos intellexisse eas libationes, quae iugulis scissis inferis deis offerebantur, contendere non dubito.[1])

Non minimi momenti est, paucis verbis perstringere, quae statuenda sunt de munere sacerdotum, qui vocantur σπονδοφόροι. Etsi omnibus locis, ubi de illis audimus seu e titulis seu e scriptoribus, tales intelligendi sunt, qui σπονδάς, quod est *foedus* vel potius *indutiae*, civitatibus indicant[2]) tamen pro certo habendum est, his in sollemnibus σπονδάς, i. e. libationes, effundendas fuisse. — Σπονδοφόροι cum multis locis, ut Delphis, Eleusine tum Olympiae inveniuntur; ad quam Pausanias spectat (V. 15. 10), ubi antiquo cultu tractato de libationibus verba facit, tum: *μέλει δέ*, inquit, *τὰ ἐς θυσίας θεηκόλῳ τε, ὃς ἐπὶ μηνὶ ἑκάστῳ τὴν τιμὴν ἔχει, καὶ μάντεσι καὶ σπονδοφόροις, ἔτι δὲ ἐξηγητῇ τε καὶ αὐλητῇ καὶ τῷ ξυλεῖ.* Et his e verbis dilucide apparet, σπονδοφόρους non tam praecones fuisse, quam fetiales, qui sacrificio aderant; et ex iis titulis, qui de magistratibus ac sacerdotibus scripti nobis servati sunt, ubi σπονδοφόρος enumeratur una cum ἐνσίτῳ. — (C. i. gr. 1249. 1253). Sed firmum argumentum ex inscriptione[3]) hauritur, in qua de epigrammate constitutum est sacerdoti attributo: [Εὐβίοτος] Δημογένου ἱερεὺς γενόμενος καὶ Δημογένης Εὐ[βιότου σπ[ο]νδ[οφ]ορήσας Ἀμφιαράῳ καὶ Ὑγιείᾳ. Nam his verbis demonstratur, Demogenem illum fuisse, qui Amphiarao heroi et Saluti libamina effundebat. —

Iam vero alio modo translatae inveniuntur voces libandi neque iam ex ipsa religione haustae. Saepe enim apparent iam in Homeri carminibus voces δάκρυα λείβειν, in quibus vis et notio vocabuli *effundendi paucas guttas*[4])

---

[1]) De his rebus Diels, vir doctissimus, docere solet in lectionibus habitis *de religione et mythologia Graecorum.*

[2]) Cf. Dittenberger: „Hermes“ XX. p. 29.

[3]) Inscriptiones Graecae, Megaridis, Boeotiae, Oropiae ed. Dittenberger Berol. 1892. p. 130 n. 412.

[4]) Cf. Hesych. s. v. λείβω· σπένδω, στάζω. Cf. Etym. magn. 562, 30: παρὰ τὸ λείβω τὸ καταστάζω.

evanuit, ut in universum *effundendi* notio profecta sit. Tamen posterioribus quoque temporibus illam primam significationem retinuisse poetas, nonnullis locis probatur. Cf. Aeschyli versus:[1])

δακρυσίστακτα δ' ἀπ' ὄσσων
ῥαδινὸν λειβομένα ῥέος παρειὰν
νοτίοις ἔτεγξα παγαῖς.

Nam poeta voci *λειβομένα*, quae hoc loco vertenda est *effundens*, addit *δακρυσίστακτα* quo *lacrimas quasi guttas stillare* exprimatur. Idem iam multo distinctius Sophoclis versus demonstrat:[2]) *ἀστακτὶ λείβων δάκρυον ὧδ' ὁδοιπορεῖ.* Nam poeta, ut vocis *λείβειν*, quod est guttas effundere, notionem genuinam augeat, addit *ἀστακτί*. Qua re fit, ut *λείβειν ἀστακτὶ δάκρυον* significet: copiose profundere lacrimas. Cf. denique Platonis verba:[3]) *λειβόμενον ἀπὸ τῶν ὀστῶν καὶ στάζον.* —

Restat, ut commemorem aliam vim, quae subest voci *λείβεσθαι*. Praeter eos locos, quos iam attuli, ubi *λείβεσθαι* nihil aliud significat, nisi *fundere*, tales quoque inveniuntur in quibus agnoscenda est notio *fluendi*, ut verti possit *contabescere*, id quod optime illustratur non tam iis scriptorum locis, ubi cum verbo *δακρύοις*[4]) coniuncta est vox, quam, ut exemplum afferam, cum *ἄλγεσι*. Cf. Euripid. Suppl. vs. 1119: *πολλοῦ δὴ χρόνου ζώσης μετὰ δὴ | Καταλειβομένας τ' ἄλγεσι πολλοῖς.*[5])

Vis translata in altero quoque verbo libandi invenitur, in *σπένδειν*; sed premendum esse puto, hoc rarissime et posterioribus demum temporibus factum esse. Nam haec vox multo longius propria vestigia religionis

[1]) Prometh. vs. 400 sqq,

[2]) Oedipod. Colon. vs. 1251.

[3]) Tim. p. 82 D.

[4]) Cf. Euripid. Androm. vs. 532. Aristoph. Equit. vs. 327.

[5]) Cf. Aristoph. Equit. vs. 327.

retinuit. Unus exsistit Euripidis locus,[1]) ubi etsi non iam vera libatio illo verbo significatur, tamen religiosa caerimonia dilucide perstringitur: *δακρύοις καταοπένδω σ' ἐγὼ δ' οἴκτοισί γε.* At tales loci, in quibus nihil exstat antiquae notionis, multo post suppeditant in epigrammatibus, ut Antholog. palat. (ed. Jacobs) IX. 364. 1:

Σπείσατέ μοι, Μοῦσαι, λιγυρὴν εὐτέρπεα φωνήν, ubi nihil aliud dictum est, ac *mittite vocem.* Praeterea cf. *αἷμα τυράννων σπένδειν,*[2]) *σπεῖσαι δεύτερα φίλτρα γάμου,*[3]) alia huiusmodi.

---

[1]) Orest. vs. 1239.

[2]) Anthol. palat. IX. vs. 184.

[3]) Apollond. 19. in Anthol. graec. ed. Jacobs.